VETERUM OSCORUM
INSCRIPTIONES,
ET TABULAE EUGUBINAE
LATINA INTERPRETATIONE TENTATAE:

TUM

SPECIMINA ETYMOLOGICA
IN PROBATIONEM SYSTEMATIS GLOSSOGONICI ATQUE HERMENEUTICI PROPOSITI, ADIECTA

A CATALDO JANNELLIO

REGIO BIBLIOTHECARIO, ET ACADEMICO HERCULANENSI.

NEAPOLI,

EX REGIA TYPOGRAPHIA.

1841.

Dicatur Terra omnium Terrarum alumna eadem ac parens; numine Deorum electa, quae Coelum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret Imperia, Ritusque molliret, et tot Populorum discordes ferasque Linguas Sermonis commercio contraheret, Colloquia et Humanitatem Homini daret; breviterve una Cunctarum Gentium in toto Orbe Patria fieret.

C. Plinius Secundus *in Hist. nat. libr. III. cap. 6. de* Italia.

IN TENTAMEN HERMENEUTICUM OSCUM

PRAEFATIO PRIMA.

I. Quum per annos praeteritos in *Etruscarum Inscriptionum* interpretatione incumberem, daremque operam, ut eas Latina versione, quae iam Typis est edita, donarem, vehementer incitabar animo, ut *Inscriptiones* Patrum meorum *Oscorum*, nam Lucanus et Oscus sum, tentarem pariter atque explorarem: videbarque mihi nisi fecissem in Patriam charitatem vehementer peccare: maxime quia in Systemate nostro *Glossogonico* iam indicato Adp. ad *Tent. Hermen. Etrusc.* p. 270. ea *Fundamenta Hermeneutica* mihi invenisse putabam, per quae istae etiam *Patriae Inscriptiones* non absurde possent explorari et tentari. At plura diu obsistere contra, et adversari pertinaciter sunt visa, ne hoc desiderium explerem, atque iustum officium exsolverem. Et 1. primo obstabat ipsa paucitas raritas et tenuitas *Oscarum Inscriptionum*, prae Gentis amplitudine et vetustate. Nemo enim potest ignorare eo difficiliorem, abstrusiorem, et incertiorem esse *Linguae ignotae* interpretationem, quo Monumenta atque Documenta, quibus innititur, et a quibus tota pendet tenuiora sunt et pauciora. 2. Obstabat secundo in tanta *Inscriptionum* paucitate multarum Dialectorum *Oscarum* certa varietas et discrepantia, si vel unius summi Viri Titi Livii Patavini de Pythagora Samio et Numa Pompilio Sabino Libr. I. cap. 4. loquentis testimonio utamur. Ita ut tu Umbros, Volscos, Sabinos, Marsos. Appulos, Salentinos, Campanos, Siculos, etc. non levi tantum vocabulorum mutatione, et homiophonia, sed Lexicis, ut ita dicam, totis mutuo discrepasse tenere atque affirmare possis. 3. Obstabat tertio ipsorum Alphabetorum, quibus paucae hae *Inscriptiones* ad nos pervenerunt, varietas etiam et discrepantia. Nam ex *Oscis* istis *Inscriptionibus* aliae

venerunt ad nos descriptae Alphabeto proprio et idioethnico, quod Campanum et *Oscum* quasi per excellentiam adpellant: Aliae Alphabeto Messapio et Salentino etiam proprio et idioethnico: Aliae Alphabeto Graeco; Aliae Latino: aliae tandem Etrusco. Et quamvis fatendum sit omnia haec Alphabeta in pluribus secum mutuo egregie convenire, et congruere, et omnia non esse nisi derivationes et varietates Alphabeti Ionici et Milesii, quod a sexto saeculo Prochristiano Phocenses potissimum pluribus Gentibus intulerunt: Est aeque verum et fatendum ingenue accuratam lectionem omnium *Oscarum Inscriptionum*, et genuinam in notum et certum Alphabetum, Latinum, puta, Graecumve, redactionem et conversionem esse rem longe difficilem atque abstrusam, crucemque asperrimam sibi figere, quemcumque sive Editorem sive Interpretem, qui eas per certas et notas Literas accuratissime exhibere atque exprimere conetur. 4. Obstabat quarto harum paucarum *Inscriptionum* dissipatio et disiectio: Nam nullus earum hactenus editus Thesaurus, nulla plenaria Sylloge: Sed per Libros plures et Scriptores variissimi ingenii, sedulitatis, et eruditionis quaerendae et colligendae. 5. Obstabat quinto multarum *Oscarum Inscriptionum* Fidem, authenticitatem, et lectionem intutam esse et dubiam, vel incertam atque ambiguam, vel non satis exploratam et probatam, et quae per me, per conditionem, et valetudinem meam neque explorari posset nec probari. 6. Obstabat sexto, quod ipsae origines, adfinitates, amplitudo atque extensio, limites et fines *Oscorum* in Italia; tum mores characteristici, Instituta Idioethnica, et Hierographia adhuc essent obscura penitus, confusa, incerta: etsi praestantissimi Viri plures, ut Philippus Cluverius, Iulius Caesar Capaccius, Camillus Pellegrinius, Iustus Rycquius, Alexius Mazochius, Franciscus Vargas, Xaverius Rogadei, Franciscus Attellius, Vincentius de Muro,

M. Arch. Lupulus, Georgius Niebhurius, aliique plures de *Oscis* istis egissent. Nam plerique ex his loca tantum et testimonia Scriptorum veterum saepe adversa cumularunt et congregarunt. Et si Mazochius, Attellius, de Muro, Lupulus ad nescio quem Chananaeismum, et Phoenicismum, de more, confugerunt, neque suo neque Lectorum bono facere potuerunt, ut quis Sidonios, et Tyrios, vel Pherezaeos et Iebusaeos in *Oscis* nostris agnoscere sciverit umquam, et quiverit.

II. Haec autem omnia, ut dicebam, adversari mihi contra et potenter obsistere videbantur ne Patrum meorum *Oscorum Inscriptiones* tentarem atque explorarem. At potiora deinceps et graviora suaserunt, et ferme impulerunt, ut consilium illud perficerem, et officium exsolverem. 1. Et primo quia sensi atque animadverti me neque lege neque praecepto ullo teneri et premi, ut plerasque *Oscas Inscriptiones* per ipsa certissima Ectypa per me ipsum expressa colligerem et ederem: neque me ea esse voluntate et consilio, ut me Collectorem atque Editorem accuratissimum *Oscarum Inscriptionum* proponerem et sisterem: Sed me id tantum velle, et conari, ut per *Systema* nostrum *Glossogonicum Oscas Inscriptiones* iam ab aliis prolatas atque editas debita diligentia tentarem et verterem. Quo consilio suscepto et probato, omnia fere illa obstacula superius opposita vel concidebant penitus, vel gravissime infringebantur. Quod consilium nostrum vehementer firmabat prolixa consideratio et analysis fundamentorum Hermeneuticorum, quae hactenus probarunt et receperunt Interpretes: Nam ea esse omnino *falsa* et *fictitia*, *calumniosa* et *iniuria*, *infoecunda* penitus et *inepta* inveni et probavi. *Falsa*, inquam, et *fictitia*, quia plane adversa tum certissimis testimoniis Historicorum veterum, ut monuimus hic p. 52.-62. tum Genesi atque ori-

ginibus Linguae *Oscae*, *Graecae*, et *Latinae*, quas saepius indicavimus atque exposuimus. Et si ferri utcumque potest Interpretes huius modi sincerae et genuinae *Glossogoniae* et *Glossosophiae* esse ignaros, et numquam ad Linguarum humanarum Genesin sive *Brutisticam*, sive *Semibrutisticam*, sive *Babelisticam*, sive *Adamiticam*, et *Noachicam* animum mentemque suam convertisse, intolerandum est eos ipsam pragmaticam Historiam Latinae Linguae funditus ignorare, et nescire Linguam hanc non tantum Romuli et Numae aetate, sed ipso quinto Urbis saeculo ita a Lingua octavi discrepasse, ut Monumenta et Documenta tunc scripta nec caperentur amplius nec intelligerentur: Scilicet quia Lingua quinti Saeculi Romani adhuc pavromorpha et cacomorpha facta esset deinceps exquisite eumorpha et pleromorpha, et pluribus centuriis veterum Vocum reiectis et factis *obliviis*, plures aliae centuriae *novorum* Vocabulorum, et antea ignotorum conditae et efformatae fuissent: Cuius Geneseos gnarissimus Horatius Flaccus, qui *Carmina Saliaria* etiam quinti, ut ego teneo, saeculi Romani non capiebat: in *Arte Poetic.* v. 55.-65. audacter canebat: » *Ego cur adquirere pauca* » *Si possim invideor*: *Cum Lingua Catonis et Enni* » *Sermonem patrium ditaverit, et nova Rerum* » *Nomina protulerit? Licuit semperque licebit* » *Signatum praesente nota producere verbum* ». *Ut sylvae foliis etc.* Et quamvis certum sit longe paucissimas et tenuissimas reliquias Romanae Linguae ante annum 500. Urbis esse servatas, si eas tamen quis colligit, et adunat, ut inter alios fecit Iacobus Balde Iesuita Tom. II. *Carminum* suorum 1660. non difficile tantum, sed impossibile per recentius Latinum Lexicon Ciceronis, Varronis, Livii, eas vertere atque intelligere: Adeout plane puer in his studiis sit habendus, qui per hanc Linguam gravissime immutatam

et recentissime efformatam velit vertere Linguam *Oscam*, cuius *Romani* ignari pag. 56., sive haec ponatur aeque fluxa et mutata ab acerrimis Romanorum hostibus Campanis, Samnitibus, Marsis, sive ponatur immota, constans, Patriarchalis, Noachica, quod nos non affirmare tantum, sed demonstrare adnisi sumus p. 48.-50.-64.-68.

III. *Calumniosa* insuper, ut dicebam, atque *iniuria* Patribus nostris est huiusmodi opinio: Nam si hos Interpretes audis, nullo excepto, puta Guarinium in *Cipp. Osc. Abell.* p. 28. 29. Oscum TRIBALAK est ipsum TURBATIO Latinorum: PHIISNAM FINALES: MEPHIIST – MEDIUS: PHEIHUSS – FICUS: PUSSTISS – PROPOSITUM: et ita per similia cetera, et saepius longe foediora, corruptiora, depravatiora. Atqui aio non difficile, sed impossibile in eodem Italiae Climate easdem plane Radices; nisi ob originalem Heteroglossiam, ut nos tenemus; potuisse a *Romanis* atque *Oscis* ita fatue depravari et corrumpi. Nam ipsae ineptissimae et despectissimae ancillulae nostrae ex centum vocabulis Latinis, Romaicis, Italicis plusquam quinquaginta ita servant intacta, et legitima, ut ipse Cicero, et Varro, si adessent caperent statim et plene: ut *mano*, *pede*, *capo*, *capillo*, *fronte*, *cuorpo*, etc., et infinita alia: Tum ex Inscriptionibus Latinis plusquam quinque millia sunt positae ab *Oscis*, et ipsis saepissime artificibus, et humilibus hominibus. Quin plerique *Osci* Viri maximi et praestantissimi Romanae et Latinae Linguae Scriptores extiterunt; ut Lucanus ille vel Appulus Horatius Flaccus unus plane fuit, qui *monstraretur digito praetereuntium* » *Romanae Fidicen Lyrae*. Quod si per huiusmodi absurdas depravationes et corruptiones vocum Latinarum, et Graecarum ex *Oscis Inscriptionibus* colligeretur sententia opportuna et manifesta, praeclara Gentis facta, mores characteristici, Interpres posset utcum-

que ferri: Sed contra haec fundamenta Hermeneutica sunt infoecunda etiam penitus atque inepta, ut iam dicebamus: neque tu quocumque labore adposito, quacumque cura et diligentia adiecta, nisi futilitates miseras valebis colligere et corradere: Numquam per istos Interpretes Oscum Pantheum illustratum et auctum, numquam Liturgia Gentis explicata, nulli mores idioethnici expositi, nulla instituta patria et characteristica detecta, probata, firmata. Quae ut claro aliquo et aperto argumento firmentur rogo te, Lector, ut *Tabulae* aeneae *Bantinae* alteram faciem, de qua hîc agimus p. 119.–126. aliqua diligentia perlustres et expendas: et velim primum adnotes tibi hanc Tabulae faciem, quam Interpretes isti totam factam ex Radicibus Graecis, Latinisque clamant, Caietanum Marinium primum eius editorem in Graecis Latinisque literis longe doctissimum intactam prorsus reliquisse, nec hiscere fuisse ausum, quoad eius interpretationem: Academicos Herculanenses, inter quos plures tum ad miraculum usque in Graecis Latinisque Literis exercitati, satis habuisse ut sermonem *Tabulae* Volscum dicerent: quod fecit etiam Frater Paullinus. Tum velim adnotes Raymundum Guarinium Collegam nostrum Latinae literaturae cultorem clarum, et unum ex paucissimis, qui veterem Latinam Poesin inter nos servet, iam ab anno 1820 edidisse huius *Tabulae* plenum Commentarium singulis nempe et prorsus singulis vocibus alphabetico ordine examinatis per Latinam, Graecamque Linguam atque excussis: Ita ut quum tu scires *totum* esse *partium* suarum *complexionem*, et data versione certissimâ partium esse datam *Totius* interpretationem, centies deierares iam *Bantinam Tabulam* plenissime et perfectissime intelligi atque explicari. At res aliter processit ipso anno 1820. Nam ipsemet Guarinius pag. 171. 172. nil aliud posse colligi et teneri ex Tabula huiusmodi est pro-

fessus nisi esse *Tabulam Sacrificalem* et *Municipalem*, quae nihili sunt, etiam si vera essent. Successit Guarinio in *Bantina Tabula* explicanda Henricus Franchinius, et per ipsissimam Latinam Graecamque Linguam interpretationem tam prodigiose diversam obtinuit, et tam remotam ab Interpretatione Guarinii, ut remotiorem et magis diversam vix scias animo fingere, et comminisci, nisi ope et auxilio ipsius Guarinii, qui ineunte hoc anno, typis iam impresso brevissimo Commentario nostro, *Excursum Criticum* edidit, quo plenissima retractatione atque aeternum laudanda tum Alphabeticum illum suum Commentarium anni 1820. totum reiecit, tum duas illas fundamentales voculas et nihili *Municipalem* et *Sacrificalem* damnavit, *vineta sua*, securi suâ, manu sua, ut praeclara ingenuitate ipsemet fatetur *caedens* pag. 22. et sive Lingua Graeca et Latina anni 1820. fuisset alia; sive quia Guarinius alias tum nosset, hoc anno per Linguam, quam etiam Graecam et Latinam appellat, longe alia et diversa in *Tabula* Bantina deprehendit et prodidit: scilicet professus est contineri: de *Ratione Macellaria*, de *bonâ* et non mala *Carne caedenda* et *vendenda* pag. 25. Plebiscitum a *Senatu Romano* p. 20. *Senateis tanginud*, sive teste Guarinio *Senatus decreto*, per *Claudium* Caesarem Augustum Imperatorem Romanum pag. 22. propositum *Castro Lucano*, cuius pagi *Bansa* et *Sansa*. Quae cum egomet, vel alius quivis mihi notus, nec logice nec archaeologice capiamus et penitissime non intelligamus Henrico Franchinio, quem vel scribere *somniantem*, vel *somniantibus* obiicit Guarinius p. 26. examinanda et expendenda relinquo; his tantum a me brevissime adnotatis: Senatum Romanum et Romanos Imperatores, Senatus-consulta, Responsa, Leges, Edicta semper Latina Lingua pura proposuisse, etiam gravissima severitate adiecta; Et Senatus-consultum de Bacchanalibus Linguâ Latina adhuc ru-

diore, et imperio infirmo in extremis Italiae oris sermone Romano adfixum. Impossibile Senatus-Consulta, Responsa, et Edicta Imperatorum Latina a quacumque Gente et Populo utcumque heteroglosso absque Textu originali et Latino adhiberi: Impossibile absurdum maiestatem Senatus Romani, et Principis Generis humani de *caedenda* et *vendenda carne* in obscurissimo et ignotissimo Pago Lucano minutim et prolixa oratione occupari. Et adeo satius hac in re adnotanda puto quae habet magnus Livius Libr. XL. c. 42. p. 434. ad ann. 572. Imperio Romano haud hactenus magno: *Cumanis* origine Graecis, et ab *Osca vicinia* mutatis *eo anno petentibus permissum*, *ut publice Latine loquerentur* (non Osce vel Graece, ut loquebantur); *et Praeconibus*, *ut Latine vendendi ius esset*.

IV. Atqui contra per *Fundamenta* nostra *Hermeneutica* non per foedas et pudendas depravationes, sed per aequas Homiophonias Vocabula proponuntur: neque ex Lingua extranea recenti fluxa mutabili, sed ex Lingua patria, propria, vetustissima, *Noachica*: et per eam plura instituta characteristica, plures mores idioethnici deteguntur, firmantur, illustrantur. Ex quo factum, ut revera darem operam, ut quae pridem mihi cogitata fuerant de *Originibus* nostrorum *Oscorum*, brevi *Disquisitione* hîc colligerem et contraherem p. 1.-60. nulla aequa traditione vel contempta vel reiecta. Nam neminem ex doctis Lectoribus miraturum puto, quod nullam mentionem vel refutationem adiecerim sive Atlantiorum Insulanorum Platonis, et Comitis Carlii, sive Atlantiorum Mauritanorum Dominici Romagnosii, sive Iberorum Hispanorum Hervasii, et aliorum: Nam quidquid sit de aliqua Colonia ex Africa in Italiam inlata, qui serio vellet tenere ingentem et amplissimum *Italorum* atque *Oscorum* numerum ex occidentalibus vel meridionalibus Regionibus in Ita-

liam inductum, non Italiae modo, sed totius Europae genuinas origines inverteret et pessumdaret. Et qui vel leviter expenderit testimonia, auctoritates, monumenta, et documenta Historica quibus demonstratur *Oscorum* Tribus ex Asia et Epiro esse ducendas p. 17.-46. intime falsam et negligendam adversam opinionem statim sentiet et tenebit. Quin longe gravius errat, qui nescio quam lucem, et adiumentum ad *Oscam* Archaeologiam illustrandam in Cantabrorum, et Baschorum Lingua quaerit et sperat. Nam Lingua haec funditus alia origine sua a Pelasgicis et veteribus Italicis, affinis Dialectis Caspiis, Finnicis, Turcicis, summa probabilitate non a vetustis Iberis, qui in Iberniam transfretarunt; sed a recentioribus pulsis a Nabuchodonosore in Africam et inde in Hispaniam inlata est: Ubi Coloniarum aliarum mixtione et dominio Romano ita mixta et composita facta est, ut plusquam mediam partem Vocum Romaicarum et Romano-Hispanicarum sumeret. Quin quum sit prorsus Rizophthartica et verbis auxiliariis frequentissime utatur, quocumque sensu est ineptissima ad aequam analysim Linguae *Oscae*. Quin quum egomet aliqua cura et diligentia paucas illas *Inscriptiones Celtibericas* editas ab Aspirozio-Errio, et hinc in Acta Academiae Celticae Gallorum inlatas excussissem, atque examinassem, Aspirozii interpretationes tum ex falso Alphabeto, tum ex usu Linguae Cantabricae et Bascae a genuina Celtiberica remotissimae esse falsas et absurdas sensi et tenui; quumque Alphabetum facile et certo constituissem, quia est Ionicum, Milesium, et Phocense plures Celtibericas Inscriptiones per Noachicam nostram Linguam clarius et facilius sum interpretatus. Scilicet per *Linguam* illam per quam *Oscas* nostras *Inscriptiones* hic p. 81.-176. explicavimus. De quo *Tentamine* brevi, ex nostro more, et conciso pluribus distinere Lectorem nolo, contentus

proposuisse: unum monens, quod saepius monui: Difficillima Problemata numquam plene solvi et explicari, nisi per plurima varia diversa et repetita *Tentamina*, utque solemus etiam dicere nisi *exhaustione Methodorum* et rationum Hermeneuticarum: Nam ex ista *exhaustione* ipsorum errorum exhaustio et reiectio obtinetur, et tandem Veritatis ipsius occupatio et comprehensio, quae errore undique profligato et reiecto, fit plenissima et certissima.

Scribebam Neapoli mense Martio 1841.

IN SPECIMINA HERMENEUTICA TABULARUM EUGUBINARUM

PRAEFATIO SECUNDA.

I. *Tabulae* septem aeneae *Eugubinae*, de quibus saepe et abunde egerunt Bonarota, Maffeius, Passerius, Lanzius, aliique plures, tantam veteris Linguae Italicae quantitatem servant, quantam non habent omnes Inscriptiones Oscae hactenus notae: imo quot voces vix habent universae Inscriptiones, et omnes Tituli funebres Etruscorum adhuc collecti et editi: Quamobrem quum ipsemet per aliquot annos interpretationi *Etruscarum* atque *Oscarum Inscriptionum* attenderem, si quid Patriae Archaeologiae amor et Systematis Glossogonici nostri cura me tangeret, fieri non poterat, quin aliquando saltem ad *Tabulas* istas oculos mentemque converterem. Quin fatendum est ingenue me non tantum aliquando, sed fecisse saepissime; et saepissime deturbatum ab eis recessisse et aufugisse. Nam quum ex una parte certo tenerem Auctores *Tabularum Eugubinarum* non fuisse Umbros, qui ex *Osca* Gente, sed Aborigines, sive *Latinos Priscos* et *Cascos*: attamen per Latinam Linguam, per Linguam Plauti Umbri, et Ciceronis Volsci, semper eas intractabiles et inexplicabiles comperi: Nec quacumque cura et studio adiecto versiculum unum istarum *Tabularum* per aequas et probatas homiophonias sive Latinas, sive Graecas ad probabilem sententiam quivi adducere. Etsi ex alia parte Linguam illam nostram *Noachicam Semitolexicam* et amorpham, quam in *Etruscis* atque *Oscis Inscriptionibus* inveniebamus, etiam in *Tabulis Eugubinis* esse inveniendam plurima et gravissima suadebant: quum istarum *Tabularum* Scriptura varia esset, inconstans, incerta: ita ut singula Vocabula essent saepius frustra exploranda: diu

tam molestum et ingratum laborem adsumere detrectavi, et prorsus refugi. At quum deinceps acrius et vehementius pungeret et urgeret dolor absolutae ignorantiae de natura veteris Linguae Italiae nostrae, et summa probabilitate collegissem Scripturam illam variam et incertam ex arcano dogmate Sacerdotali, ex Crypticismo Systematico ortam: V. Adp ad *Tent. Hermen. Etruscum* pag. 221. 222. molestissimum illum laborem voravi, et Specimina ista p. 188.-212. edidi: in eo certe numquam iure damnandus, quod *Tabulas* huiusmodi per aliam viam, et alia fundamenta Hermeneutica vertere et interpretari sim conatus. Doctorum Virorum labores et versiones singillatim et curiose referre atque expendere nec gloriosum nec utile: tum quia vulgatissima sunt opera Bonarotae, Maffeii, Passerii, Gorii, Lanzii, tum quia ea aetate doctissimi hi Viri floruerunt, qua Glossosophia humana tenuissima et incertissima: Tum quia summa modestiâ et prudentiâ singulari has Versiones pertractarunt. Haud tamen possumus silentio penitus praeterire et indictos relinquere duos Germanos viros literatos, qui *Tabulas* istas *Eugubinas* illustrandas et vertendas sumserunt: Scilicet Richardum Lepsium, qui plura et mira frustra pollicitus de his *Tabulis*, de *Osca*, *Etrusca*, *Umbra*, et *Latina* Literatura libellum tantum centum fere paginarum anno 1833. edidit, quo de una *Historia* et *Orthographia Tabularum Eugubinarum* egit: Et Grotefendium Hanoveranum, qui ab anno 1833. ad 1839. Particulis octo, paginis plusquam 300. prolixe de his *Tabulis* egit. Nam 1. Primo uterque id fecit nullo Systemate *Glossogonico* monstrato, proposito, indicato, imo nullâ prorsus cuiuscumque *Glossosophiae* Scientia instructi *Linguam ignotam*, quod penitissime arduum *Praef. ad Tent. Etrusc.* animadvertebamus, explicare sunt adgressi.

2. Secundo quia *Fundamenta* sua *Hermeneutica*

quaecumque, bona, mala, apta, inepta, vetera, nova, nota, ignota, nec ut *data* quidem et *hypothetica* clare ponere, dilucide exponere, diligenter distinguere sunt dignati, ita ut cogatur Lector per laborem suum patienter ea extrahere, colligere, et sibi adnotare.

3. Tertio quia etsi videatur tam Lepsius, quam Grotefendius nescio quam intimam, profundam, et substantialem adfinitatem ponere, et statuere inter *Linguam Eugubinam* et *Latinam*, adeo ut qui eos audit, necessario deieraret, ex centum Vocabulis *Eugubinis* plusquam Sexaginta esse ipsa *Latina*, clarissima et certissima homiophonia Latina sonare, in Versionibus tamen Grotefendii, nam Lepsius, quantum egomet scio, ne unam quidem Eugubinam vocem attigit, ita remotae sunt voces *Eugubinae* et *Latinae*, *Graecaeve*, ita funditus heterophonae, ut quivis potius deieraret propiores esse quasvis voces Iaponicas et Mangiuricas. Nam Grotefendio ex. gr. *Persclo* Eugubinum est *expiatio*: *Pesnime* - precator, *Arpesardore*: *Arfes*-arviga: *Ifont*-inde: *Termnuco*-flammas: *Prinuater*—suffimentis: *Peracri*—Sacri: *Sorsu--persondro* - Socio lustramine etc. etc. et ita per alia innumera Vocabula.

4. Quarto quia in reliquis vocibus a Grotefendio tractatis vel habetur laceratio calumniosa et depravatio foeda: vel homiophonia puerilis et nihili Vocum *Eugubinarum*. Et profecto qui certo tenet vocabula *Eugubina*, ex. gr. *Fetu*, *trif*, *buf*, *sif* etc. esse ipsa Latina *facite*, *tribus*, *bubus*, *suibus*: numquam Fundamenta genuina *Glossosophiae* humanae nosse potuit: Ut qui non curat, nec capit, quod data intima adfinitate Linguae Latinae et Eugubinae impossibile sit in Tabulis Sacerdotalibus evidenter non inveniri et deprehendi vocabula: *Sacerdotis*, *Pontificis*, *sacrificii*, *immolationis*, *lustrationis*, *expiationis*, *precum*, *molae salsae*, *victimarum* etc.

et aliorum plurimorum, quae in omni sacro et Sacerdotali sermone Latino necessario inveniuntur, frustra semper atque inepte ad vertendas has Tabulas accedat.

5. Quinto, quia ex omnibus versionibus Grotefendii colligitur sententia vel confusa et obscura, vel futilis et inficeta, vel absurda et falsa: Et ita quidem, ut etsi egomet nec probem nec teneam versiones Bourgueti, Gorii, et Lanzii, arbitrer tamen et putem, eos omnes, qui horum Fundamenta Hermeneutica probant, facilius et satius probaturos et recepturos versiones Bourgueti, Gorii, et Lanzii, quam Grotefendii.

6. Sexto quia nescio quas declinationes, et inflexiones casuum in Nominibus Eugubinis plenissima temeritate non fingunt solum, et comminiscuntur, sed per aclisiacas et anti-clisiacas versiones suas reiicit, et refellit ipsemet Grotefendius. Qui aliquando ad genuinam eruditionem Linguarum veterum Italicarum accedens ipsam Romanam Linguam, ipso Saeculo quinto Romano adhuc aclisiacam vel pavromorpham fatetur, et agnoscit *Part.* II. p. 13. 14. opportune etiam afferens hanc Latinam Inscriptionem: *M. Mindios L. Fi. P. Condios. Va. fi. Aidiles vicesma parti Apolones dederi* Nempe *Marcus, os-Mindi* ex *Mindiis*: ut saepe alibi animadvertimus: *Lucii filius*: *Publius os-Condi, ex Condiis*, *Valerii filius*: *Es-il-aid*: *homines*, *ad*, *Aedes*: *Partem vicesimam*: *es-Apolon, ad Apollinem*, *Apollini*, ut Italus modo dicit: *ad Apolline*, ut alibi in re simili animadvertebamus, non ad Templum *Apollinis*, ut vertit Grotefendius, *dederunt.*

7. Septimo, quia tot ineptias de rebus nostris insolentia et iactantia non ferenda proposuerunt. Nam Lepsius haec professus est initio libelli sui: *Fabulantem sane credidissem, qui mihi diceret, quantum tempus. quantosque labores doctissimi quique*

suae aetatis homines iam perdidissent in his septem laminis explicandis. Quae enim O. Muellerus in praeclaro de Etruscis opere paucis in paginis de Lingua Tabularum egregie disseruit si exceperis, praeterea nihil, quod esset memoria dignum usque ad hoc tempus per quatuor fere saecula erutum esse iure aliquis dixerit. Quae falsa et mendacia sunt. In toto enim hoc libello Lepsii ne unus quidem versiculus Eugubinus, ne una quidem vox Eugubina, neque per Lepsium, neque per Muellerum est explicata. Tum si Lepsius fundamenta Hermeneutica Muelleri probat, et fundamenta Hermeneutica Lepsii sunt ipsa fundamenta Gorii, Passerii, Lanzii, quae absurda superbia est longe doctissimos, et laboriosissimos Italos contemnere et eiicere, et hominem unum Germanum in Versione et Interpretatione *Tabularum Eugubinarum* plane nihili unice laudare et efferre? Nec ignorat porro Lector ipsum Libellum Lepsii totum fere factum ex nominibus Passerii, Gorii, Maffeii, Lanzii, etc. qui plura in his Tabulis tentarunt, ipso Lepsio vel muto Interprete, vel Censore iniusto.

Grotefendius porro prima pagina operis sui haec scribebat: *Tantum tamen lucis adspersisse mihi videor in interpretandis Umbricis Inscriptionibus, ut meris nugis vanisque divinationibus fine imposito, Antiquitatis Romanae studium summae utilitatis fructus inde capiat.* Quae si egomet scripsissem, qui longe alia Fundamenta Hermeneutica, et Radices alias, et Etyma alia posui, et longe alias versiones obtinui, ferendus utique fuissem: Nam ex Psychologica Animi humani lege *meras nugas* revera tenere debui Tentamina Grotefendii: At quî ferri poterit Grotefendius, qui ipsa Fundamenta Hermeneutica probans et tenens, quae tenuerant Gorius, Maffeius, Lanzius in Graecis Latinisque literis longe doctiores Grotefendio, Versiones ab illis tentatas *meras nugas* appel-

lat? At actum tandem nobiscum praeclare: Nam ipsemet Grotefendius postrema pagina operis sui in fine octavae Particulae versiones atque interpretationes suas retractandas, emendandas, reiiciendas esse declaravit: Scilicet fassus est ingenuitate laudanda se non lucem, sed meras tenebras, ineptas nugas, et confusissimas futilitates in veteribus Italorum rebus adducere tentasse. Tu interim sapias, et valeas, Lector.

IN SPECIMINA ETYMOLOGICA
PRAEFATIO TERTIA.

I. Systematis nostri Glossogonici iam indicati tum Adp. ad *Tentam. Hermen. Etrusc.* p. 252.-305. tum Praef. ad *Tentamina Hierograph.* atque *Etymologica*: Elementum praecipuum est: Humanas Linguas sive Polysyllabicas, Declinatas, atque Eumorphas: ut Graeca, Latina, Samscritica, Germanica, Slava, etc. sive Monosyllabicas, oligolexicas, et pavromorphas, ut Sinicae, et aliae plurimae Transgangeticae non fuisse similes Pelasgicis, Etruscae, Oscae Eugubinae, simplicioribus, radicalibus, et fere amorphis, ut Mater *Noachica*, sed contra fuisse formatas et conditas longa cura, et prolixo artificio a Collegiis Sacerdotalibus, a Sapientibus, Philosophis, Ascetis plerumque Samanaeis per *Lexeotropismum Technicum* et *Glossopoeismum* Systematicum indicatum p. 257.-289. ex Lingua potissimum Semitica, sive *Noachica*, Radicali, et Amorpha; quam per originales et genuinas Radices suas publice et palam in Sociali usu servarunt Hebraei, Arabes, Syri, Abissini, Phoenices, Poeni, etc. secreto vero et arcane omnes Ascetae, Sacerdotes, Sapientes, Divini, Theologi reliquarum Tribuum humanarum. Huius autem *Lexeotropismi Technici*, et *Glossopoeismi Systematici* Fundamenta theoretica satis per nos in locis citatis indicata: at practica et analytica Exempla non item adducta. Quamobrem ne videremur hoc periculum deflectere, et probationem negligere *Specimina analytica* addere hic placuit p. 213.-238. eaque tamen ob multas rationes brevia, concisa, et tenuia. Et primum quia in his Libellis nostris omnia per compendia proponimus, monemus, et indicamus, non disserimus, et uberi oratione docemus. Secundo quia valetudo adversa, et alia studia quasi vi ad

Compendia coegerunt. 3. Tertio quia mihi repositum animo est haec indicia esse satis Lectori solerti, ingenioso, exercitato, docto: laborem etsi decuplum cum lectore horum studiorum incurioso amissum et effusum. Ex quo factum, ut unum ex uberrimis Fontibus Linguarum novarum et factarum ex veteribus Radicibus in his *Speciminibus* praeterierim, nempe *Heteretymismum*: Nam Etyma *Heteretymica* facile a docto lectore inveniuntur et disquiruntur: difficillime vero probantur a Lectore moroso et inepto. Ita ex. gr. egomet *oleum* Latinorum, et ἔλαιον Graecorum factum arbitror a Noachico הלל ELL, *lucere splendere*, quia in Climatibus nostris omnis fere lux et lumen per *oleum* obtinetur: At non iurarem Lectorem sive doctum sive indoctum etymon probaturum et recepturum. At pleraque alia *Etyma*, quum ex *Homiophonia*, et *Lexeotropismo* pendeant longe probabilius ex iudicio aurium probaturos Lectores sive doctos sive indoctos quisque sentit.

I. Primum ergo *Specimen* nostrum *Etymologicum* Linguam Graecam spectat, quam a Cadmonaeis, Orphicis, et Linicis fundatam, perfectam vero ab Homeridis a duodecimo saeculo ad sextum Prochristianum loco suo monuimus. Huius autem *Linguae* celeberrimae nullum hactenus est collectum Lexicon Etymologicum plenum et absolutum. Nam Brutistae si omnes ululatus Zoophonicos, et Cyneseophonicos colligunt vix centuriam Graecarum vocum adsequentur: Et quamvis futilissimas suas voculas αω, εω, οω etc. et βαω, βεω, βοω, etc. incredibili audacia augeant et producant plures docti Batavi; ignotum tamen mihi est an per talem hypothesim totam Linguam Graecam definiverint. Tum *Philosemitae* Thomassinus, Schilterus, Martinius, Sistius, Ogerius, Gozzolinius quocumque labore suscepto numquam ex Graecis vocibus socialibus plusquam 400. Radices Semiticas aeque homiophonas et homodynamicas po-

tuerunt indicare et proponere. At quis dubitaverit, quin si hi doctissimi viri in *Graeca Glossogonia* non unam methodum homiophonicam, sed omnes et singulas reliquas Lexeotropicas, et Lexeoplasticas adhibuissent et tractassent; omnes et singulas Radices Graecas ad Noachicas Radices adduxissent? Quod saltem arguere poterit et colligere ex *Specimine* nostro quivis sollers Lector? Qui technicus, et systematicus *Glossopoeismus* non tantum ex analysi et practico hoc *Specimine* arguitur, sed per alia etiam argumenta demonstratur: Scilicet primum per invictam analogiam Etymorum internorum: Nam si Vocabula Graeca plusquam 60,000 facta sunt ex 2000 circiter Radicibus per literarum adiectionem, detractionem, transpositionem, homophonias, et alia similia: Si 2000 Radices non ex nihilo eductae fuerunt, utique ex *Radicibus Noachicis* per similem methodum factas dicendum est. 2. Secundo quia *Dialectus Aeolica* omnes fere rationes *Lexeotropicas* a nobis indicatas adhibuit, et acerrima cura servavit; Mihique certum semper fuit *Dialectum Aeolicam* numquam fuisse Dialectum vere et proprie Popularem: sed fuisse Dialectum ab iisdem *Samanaeis* Orphicis et Homericis constitutam, et adeo fuisse ad Linguam Ionicam Homeridum, quod *Pracrita* Indorum ad *Samscriticam*, profundissimo, ut egomet teneo, Samanaeorum consilio: scilicet ut in illa Dialecto meminisse statim, et perspicere possent, quibus rationibus, et methodis ex *Lingua Noachica* et similaribus Pelasgicis *Hellenica* fuisset condita et derivata. 3. Quem *Glossopoeismum* suadet insuper auctoritas omnium Grammaticorum Graecorum a Cratylo, Socrate, et Platone ad Eustathium Thessalonicensem, qui pertinacissima constantia omnia Graeca Vocabula per *Lexeotropismum* Systematicum condiderunt. Verum quidem est hos Graecos Grammaticos absurde Ra-

dices ex Radicibus educere, et numquam alterius Linguae meminisse: At aeque verum formationem Linguae Graecae fuisse prorsus arcanam, et impossibile a Samanacis eam prodi. At si tu Radicibus idioethnicis et idioglossis substituis idioethnicas et Noachicas, omnes Grammaticos Graecos invenies testes formationis Technicae et Systematicae *Graecae Linguae* ab ista *Noachica Lingua*, quod nos *Specimine* isto aperta analysi suadere studuimus.

II. Sequitur *Specimen Etymologicum Linguae Latinae*; illius nempe, quae omnium humanarum Linguarum, sive per filias, sive per mixtas Linguas amplissima viget inter Gentes; illius, cui adfinitates et homiophoniae plures adsunt cum ceteris humanis Linguis, ne Iaponica quidem et Mangiurica exceptis: et etiam illius, cuius origines, derivatio, formatio adhuc propositae vel obscurae et imperfectae, vel absurdae et ineptae, vel calumniosae et iniuriae. Nam 1. si verum est Semitoglossos Thomassinum, Martinium, Mazochium, Ogerium, Gozzolinum etc. plusquam quadringenta Vocabula Latina proferre evidenter homiophona et homodynamica Semiticis, haud hi curant explicare et indicare undenam reliquae Radices Latinae sint ductae, et quî Latinus Sermo tam immaniter et profunde discrepet ab Arabico, vel Syro: unde nullum insigne adiumentum ad Lexicum Latinum Etymologicum condendum collegimus inde et adquisivimus. 2. Porro sunt alii, qui exquisitissime docti habentur Gatakerus, Vossius, Lennepius, aliique obscuriores innumeri, qui non 400. vel 500. Radices Latinas, sive adoptatas, sive *parce detortas* a Graecis volunt, sed totam Linguam, universum Lexicon per Aeolicas leges inflexum, et detortum clamant. Quam opinionem si tu non tantum falsam et absonam, sed etiam illiteratam et ineptam asseris recte facis. Nam si Romani et Latini adoptarunt plusquam 400. Vocabula Hellenica et Ionica

per puras et aequissimas homiophonias, qui, nisi fatuos facis, plurimas alias Centurias per depravationes Aeolicas adsumsissent? Quin ille qui proprium et Idioethnicum ingenium, naturam, artificium in Lingua Latina et Graeca non sensit nec animadvertit, puer plane est in his studiis, et Linguae utriusque penitus ignarus: et qui collatis pluribus centuriis Vocabulorum Latinorum et Graecorum non sensit per proprium ingenium et idioethnicum artificium Latinum Collegium hic, Graecum illic ex ipsis saepe et iisdem Radicibus *Noachicis* et Noachico-Semiticis voces Latinas, Graecasque procudisse, leviter adhuc in his originibus profecit. Tum si Itali fere omnes Pelasgici generis, qui veterum monumentorum suorum fuerunt tenacissimi; Si Aeolenses in Graecia Pelasgis recentiores et hostes acerrimi, si nullae Aeolensium in Italia magnae Coloniae, et nullum imperium in Latio et Italia, si Itali Linguam Graecam ex Italia expellere tentarunt, si Romani Linguam suam prae Homerica aestimarunt, et praetulerunt, Linguam horum Italorum et Romanorum habere foedissimam corruptionem Hellenicae Linguae, calumniari et desipere est, etiamsi id sive Dionysius Halicarnassensis, sive Quintilianus, sive alius quivis, utcumque ex praeiudicio affirmaverit. Et esset gravius etiam desipere si audiremus iactationes Baschorum, Celticistarum, Teutonistarum, Slavonistarum, Samscriticorum, etc. quum Linguae ab his laudatae recentiores sint *Latina Lingua*, ex hac per plures Centurias Vocabulorum evidenter ditatae et auctae, et ipsae Gentes per Romanam Civilitatem humanitate donatae. Nam Plinius Secundus ex ipsa historica veritate Libr. III. c. 6. de *Italia* scribebat: *Dicatur Terra quae... tot Populorum discordes ferasque Linguas Sermonis* (Latini) *commercio contraheret, Colloquia* (Latina), *et humanitatem Homini daret.* Et hinc egomet fidentissime aio Roma-

norum *Linguam* ex pluribus Dialectis Popularibus *Noachorizicis* conflatam, malignitate Patriciorum hybridam et confusam, Isonoma iam Civitate Romana, saeculo Urbis quinto, ope Sapientum, Sacerdotum etiam Plebeiorum, Tribunorum Plebis, Oratorum, et Iurisprudentum per Lexeotropismum Systematicum expolitam, efformatam, ita ut post saeculum Ennius et Plautus potuissent Latine scribere. Cuius *Lexeotropismi* Systematici argumentum non unum est Specimen nostrum: Sed etiam analogia invicta Etymorum internorum, quae ita formari ipsi sciunt pueri: Tum testimonia Grammaticorum praestantium, ut Varronis libr. IV. p. 16. de L. L. qui insuper affirmat Libr. V. p. 51. quingentas fere particulas et voculas *formativas* adhiberi a Romanis in Derivationibus et *Declinationibus* Vocabulorum; ex quibus et ars et sapientia *Glossopoeorum Romanorum* potest colligi et argui. Quam artem et sapientiam si in una declinatione, imo veracissima *Coniugatione* Verborum Romanorum animadvertissent, numquam plurimi tenuissent imperite et calumniose *Latinam Linguam* non esse nisi corruptionem Hellenicae; Sed potius clamassent habendam unam ex praestantissimis Linguis Idiodethnicis et propriis.

III. Adpositum tertio loco *Specimen Etymologicum Linguae Samscriticae*, cuius plures et insignes adfinitates cum *Zendica* lingua, *Latina*, *Graeca*, *Persica*, *Germanica*, *Slava*, *Lithuanica*, incredibili fama per Europam percrebuerunt: Non quod, ut plerique temere et imperite tenent, ex *Samscritica Lingua* a Brachmanibus Casticis iam XV. vel ad minimum XII. Saeculo Prochristiano absoluta et perfecta, Europeae Tribus dispersae adhuc circa Hymalaiae montes nescio quas Indicas voces hausissent et adoptassent, quod absurdum et ineptum mendacium: quum contra ex certissima Chronologia frigoris et nivis, tum fluminum et aquarum, metallo-

rum, et fabularum Ctesianarum, et ex crudelissimis moribus adhuc Herodoti aetate grassantibus Civilitatem Indicam esse recentissimam, factamque ex plurimis Tribubus variissimo more imbutis, sed potissimum ex Ascetis, Cinaeis, Samanaeis, et Rechabitis Palaestinis, quos Reges Assyrii et Chaldaei in Bactrianam et Pandiabum proiecerunt dubitare non possimus. Sed quod mirifica ista *Samscritica Lingua* ope *Linguae Zendicae* Bactrianae, *Latinae* Mercatorum et Colonorum; ope *Germanae*, et aliarum Tribuum, quae ipsum Pandiabum tenebant a secundo saeculo ad quintum Christianum fuisset condita et perfecta ad multorum librorum Scripturam: et quidem a Samanaeis et Buddistis non Acasticis, sed *Semicasticis*. Hanc autem *Samscriticam* Linguam factam per *Lexeotropismum* Systematicum et *Glossopoeismum* Technicum, imo ut nos tenemus arcanum et secretiorem plurima ostendunt. Nam 1. praeter *Specimen* nostrum: 2. adest Analogia Linguarum similarium. 3. Etyma interna 4. et Testimonia Patriorum Grammaticorum, quos Europaei nostri ut profundissimi et exquisitissimi artificii Grammatici Auctores altissimis laudibus cumulant, sua negligentes: Vid. *Tent. Hermen. Etrusc.* p. 302. 303. 310. 312. *Tentamina Hierograph.* p. 281. 282.

IV. Addidimus quarto loco *Specimen Etymorum Copticorum*. Primo ut ea quae prolixa Disquisitione in *Fundam. Hermen. Scriptur. Cryptic.* disputavimus practica Analysi firmaremus: Hanc scilicet *Copticam Linguam* esse Plebeiam et humillime popularem, factam saepius ex malignis corruptionibus et depravationibus vocum Semiticarum: Quas si parce indicarunt Pfeifferus, Boniurius, Barthelemius, Drummondius, abundantius protulit Ignatius Rossius, et satius etiam faciet si volet, patiens et sollers Lector. Per quod studium gravissimus error, qui latissime ab anno 1822. per Europam invaluit, Plebeiam istam

Copticam Linguam esse ipsam Linguam omnis Scripturae Aegyptiae Hierographicae, omnium Hierophantum Aegyptiorum, et ipsam fuisse Linguam Mercurii ter maximi, poterit tandem removeri et dispelli. Fateor pessimum hunc errorem acerrime a nobis ipsis refutatum iam ab anno 1830. radicibus detineri adhuc malignis. Nam oritur 1. primo ex profunda ignorantia originum et geneseos ipsius Linguae *Copticae*, quae nec in Delta et circa Memphin, nec in Thebaide orta est, sed in Cappadocia et Ponto, intime adfinis Linguae Hunnicae et Finnicae, sive Proto-Scytharum, quos Synesius exquisite doctus Aegyptocratores facit. 2. Ex profunda ignorantia naturae originis et generationis *Linguae Semiticae*, quae et modo in Aegypto viget: quam naturam nos quaesivimus et prolixe definivimus. 3. Ex profunda ignorantia naturae et formationis *Scripturae Hieroglyphicae*, in qua plane una *Lingua Semitica* potuit adhiberi, ut nos pluribus disquisitionibus iam ab anno 1830. ostendimus. 4. Ex profunda ignorantia Regiminis Castici et Sacerdotalis, ut fuit Aegyptium, in quo Lingua popularis et Plebeia, ut Coptica, penitus differre debuit a Sacerdotali et Sacra. Sed speramus, fore ut *Speciminis* huius nostri lectione homines bonae voluntatis occasionem arripiant ipsas Radices tam perniciosi erroris expellendi atque evellendi. Nam quae hactenus de Aegypto, et quacumque Scriptura Hieroglyphica per absurdum Alphabetum, et ineptam Linguam sunt explicata, sunt omnia et singula falsa, absurda, futilia.

V. Placuit tandem addere tenue *Specimen Etymorum Sinicorum*, quae levissima etiam manu olim attigerant Pfeifferus, Thomassinus, Massonus, Relandus, Deguignes, etc. ut quae de *Sinica* Lingua et *Scriptura* in Libris nostris dissserueramus, utcumque firmaremus: Vel potius, ut quasi monitum et occasionem cogitandi et examinandi ponere-

mus eis, qui haec studia colunt et amant. Qua occasione revera monitum Lectorem velim, ne miretur saepe *voculam* Sinicam non respondere *literae vocis Semiticae*: Nam saepe *Sinica* vox desumitur et colligitur ex *Syngrammatibus Sinicis* multorum characterum, et qui possunt omnes constare vocibus heterophonis. Sed haec omnia, ut iudico, cruda et intempesta adhuc sunt, et quae aetate alia ab hominibus profunda et ampla *Glossosophia* instructis poterunt intelligi, examinari, explicari, compleri.

Scribebam Neapoli mense Martio 1841.

DISQUISITIO
DE GENTE ET LINGUA
OSCORUM.

SECTIO I.

DE AMPLITUDINE GENTIS OSCAE IN ITALIA.

I. *Amplitudo et Nomina Gentis insigniora.*

Gentem OSCAM totam fere Italiam inferiorem et mediam implesse usque ad Tiberim et Rubiconem, immo usque ad Umbronem et Sapim, hisque in locis oscos homines sub OPICORUM, OENOTRIORUM, HESPERIORUM, AUSONUM, ITALORUM, etc. nominibus claruisse innumeris veterum Scriptorum testimoniis constat; quae quum iam indicassent et collegissent Philippus Cluverius in *Italia antiqua*: Theod. Rycquius in *Diss. de Antiq. Ital. Colonis*: Camillus Pellegrinus in *Campania*: Marius Guarnaccius in *Origini Italiche*: Dominicus Romanellius in *Antica Topograf. Istorica*. B. G. Niebuhrius in *Histoire Romaine* I. pag. 10–164. et alii plures: opportune factum est nobis otium ea hîc cumulandi.

II. *Campanos, Samnites, Lucanos, Brutios, Siculos, Appulos, Marsos, Sabinos, Volscos, Umbros omnes ad magnam Oscorum Gentem spectasse certo tenendum est.*

1. Primo, quia a veteribus Scriptoribus Graecis Latinisque iisdem nominibus, quae paulo ante recensuimus, indicati et descripti. Omnes et singuli hi Populi dicti et habiti sunt ITALI, AUSONES, OENOTRII, HESPERII, OPICI, OSCI.

2. Secundo, quia plurimâ veterum Scriptorum auctoritate certum est omnes hos Populos ex una eademque magna Tribu ortos, prognatos, et derivatos fuisse: quod praestat referre verbis Philippi Clu-

verii hominis Germani in *Ital. Ant.* lib. I. cap. 6. pag. 41: *Ab* OPICIS *Sabinos ortos colligimus, ab Sabinis porro orti fuerunt Picentes, Frentani, Marruccini, Peligni, Vestini, Marsi, Aequi, Hernici, et omnium tota Italia quondam nobilissimi Samnites: Ab his Hirpini, atque Lucani; ab Lucanis Brutii; ab iisdem Samnitibus orti postea Campani etc.* Et profecto SABINI non illi, qui circa aetatem *Titi Tatii* et *Numae Pompilii* similes erant Latinis, sed *Proto-Sabini*, sive SAPHINII, et *Umbri* ad SAPIM habendi sunt *Proto-Itali*, auctoritate Varronis lib. VI. de L. L. p. 71. Strabonis lib. V. pag. 228. 229. 241. 242. Servii *ad Aeneid.* I. v. 532. 533. VII. v. 85. VIII. v. 638. Phylargirii ad *Virgil. Georg.* II. v. 167. 168. et aliorum.

3. Tertio quia omnes hi Populi unâ eademque Linguâ, quam OSCAM et OPICAM appellarunt, sunt usi. *Proto-Sabinos* et adeo *Proto-Umbros* Lingua *Osca* usos fuisse testis Varro Libr. IV. L. L. pag. 20. et lib. VI. pag. 70. 71. Linguam omnium *Samnitum* fuisse *Oscam* testimonio Livii libr. X. cap. 20. ad ann. 456. et aliorum constat. *Campanorum* Dialectum fuisse *Oscam* Fabulae Atellanae *Oscae*, et Strabo lib. V. pag. 233. et Velleius Paterculus lib. I. cap. 4. p. 32. demonstrant. *Lucanos* et *Brutios* locutos fuisse *Osce* Festus in *Bilingues* testatum reliquit. *Appulos*, *Iapyges*, *Calabros* loquutos *Osce* ex tribus Ennii *Calabri* cordibus sive Linguis, quarum una *Osca*, Gellio tradente lib. XVII. cap. 17. scimus; tum ex Porphyrione ad illa Horatii Satyr. X. lib. I. v. 30. *Canusini more bilinguis:* Tandem Linguam *Siculorum* fuisse *Oscam*, sive *Opicam* ex Epist. VIII. Platonis ad Dionem Syracus.; atque ex testimonio Stephani Byzantini in voce Γελα aeque constat.

4. Quarto, quia omnes hi Populi vel fere omnes in maximo Italico et Sociali bello ad unam plane

Gentem et Linguam se spectare certissimis argumentis demonstrarunt: ut quisque potest per facta et gesta colligere ex Appiano Alex. libr. I. pag. 371. L. Floro libr. III. cap. 18. Orosio libr. V. cap. 18. Eutropio lib. V. pag. 201. aliisque pluribus. Quibus sat erit haec magni Strabonis verba tantum addere ex libro V. pag. 241. Κορφινιον των Πελιγνων μητροπολιν κοινην ἁπασι τοις Ιταλιωταις (Oscis) αποδειξαντες πολιν αντι της Ρωμης, ὁρμητηριον του πολεμου μετονομασθεισαν Ιταλικην: et patria voce VITELIU, ut ex nummis *Oscis* belli huius Italici constat, quos praeter alios protulit Arch. Lupulus in *Veter. Corfiniens. Inscriptionem* 2. edit. 1828. pag. 89. 99. qui non iniuria, ut ego arbitror, in hoc Strabonis loco vocem Ιταλικην in Ιταλιαν emendabat pag. 41. 42. 100. 107.

Erunt fortasse, qui inter hos populos *Oscos* numerari et adcenseri iure et merito *Volscos* primo intuitu haud facile sentiant. At si *Volscorum* origines sedulo et diligenter expendent, eos esse genuinos *Ausones* et *Oscos* fatebuntur: dictosque VOLSCO vel potius, ut Graeci appellant *Voloscos*, quia essent על OL *vol* supra *Oscos* positi, nempe *Osci* superiores, *Osci* magis septemtrionales, adeoque veri et genuini *Osci*. Tum Pantheum est *Oscum*, mores *Osci*, et si Poeta Titinnius apud Festum in voce *Oscum* scribebat: *qui Osce et Volsce fabulantur, quia Latine nesciunt*: unam plane Linguam etsi Dialecto distinctam *Oscis* et *Volscis* fuisse testatus est: *Oscis* nempe plerisque *Uphonicis*, *Volscis* cum *Lucanis* meis, et *Messapiis Ophonicis*: ut in *Tentamin. Hermen.* ex duplici *Volscorum* monumento probabimus.

III. *Etsi Gens Osca non ad unam singularem, sed ad quatuor distinctas stirpes referatur, has tamen stirpes in unam Gentem iam a vetustissimis temporibus coaluisse certum est.*

Scilicet si attente et diligenter *Oscorum* origines expendimus et consideramus in eis *Atlantios*, *Arcades*, *Dardanios*, *et Ausones* discernere cogimur, et si primis plane temporibus nec *Atlantios* fuisse *Arcades*, nec *Ausones Dardanios* dubitari potest: mature tamen has Tribus mutuo coaluisse, et sese miscuisse aeque certum. Nam *Dardano* fundatori et patri *Dardaniorum* est uxor *Electra Atlantis* filia, et *Auson* est filius *Atlantis* et *Calypsonis*. V. Eustath. ad *Dionys. Perieges.* v. 78. p. 16. et Mercurius Deus *Arcadum* characteristicus est filius Iovis et *Maiae Atlantidis*, et *Hesperus Hesperiae* conditor frater *Atlantis*. V. Diodorum Sicul. libr. IV. cap. 27. p. 213. Et Virgilius in omni archaeologia Italica doctissimus *Auruncos* et *Ausones* facit depositarios et custodes Traditionum, quae spectarent *Proto-Italum Dardanum*, et *Dardanios Italicos* Aeneid. III. v. 167. 168. et VII v. 206. 207:

SECTIO II.

DE LIMITIBVS GENTIS OSCAE IN ITALIA.

I. *Osci atque Etrusci habendi sunt populi invicem diversi.*

1. Primo, quia *Etrusci* facti potissimum sunt ex Pelasgis *Tyrsenis* sive Lydis, sive Thessalis: *Osci* contra ex *Ausonibus*: qui populi nulla consanguinitate, adfinitate, nullo commercio intimo secum coniuncti reperiuntur.

2. Secundo, quia Regimen *Etruscorum* Sacerdotale, Collegiale, Aristocraticum severum numquam fuit *Oscis*; ut nunquam fuit *Etruscis* Regimen *Oscum Pastorale*, *Patriarchale*, et quod mea sententia dici potest et debet *Plutarchicum*.

3. Tertio, quia *Osci* numquam habuerunt *Disciplinas* et *Divinationes Etruscas;* non *Fulgurales*, non *Haruspicinas*, non *Acheronticas*, neque eas utcumque adoptarunt, arripuerunt, receperunt.

4. Quarto, quia nec ipsum *Pantheum Etruscum* susceperunt *Osci*, neque ex innumeris Signis, Sigillis, Hieroagalmatibus, et Hieroemblematibus *Etruscorum*, potiora saltem et praestantiora adoptarunt, et coluerunt solemni et publico cultu.

5. Quinto, quia mores et instituta Characteristica *Etruscorum*, nempe *Architectonica*, *Nautica*, *Piratica*, *Musica*, *Cryptae funebres*, *Urnae funebres*, etc. numquam fuerunt *Oscis*; ut non fuerunt *Etruscis* mores et instituta characteristica *Oscorum*: Vita Pastoralis, Convivia Tribulia, Mulctae, etc.

6. Sexto, quia quamvis Lingua *Osca* et *Etrusca* habendae sint Similares et Homogeneae, ut animadversum est in *Tentam. Herm. Etrusc.* pag. 220. 221: ita tamen electione, potestate, et pronuntiatione Radicum distant, ob maximum heterotropismum vitae, ut ex omnibus Fragmentis Linguae *Oscae*, et *Etruscae* vix possint colligi *decem* vocabula vere et proprie *homophona*, et quae probabili coniectione sint etiam *homodynamica*.

Ergo, ut dicebamus, Populi *Osci*, atque *Etrusci* habendi sunt invicem plane alii et diversi. Adeoque si plerique ex literatis viris, inter quos ipse Mazochius, *Etruscos* et *Oscos* eiusdem originis et civilitatis fecerunt, factum, quod origines nostras genuinas confuderint, nec per criteria et characteres *Ethnognosticos* discreverint et distinxerint *Etruscos* et *Oscos*.

II. *Aborigines-Latini, et Osci habendi etiam sunt Populi invicem diversi, etsi ab antiquis temporibus mixti ex parte et confusi.*

1. Primo, quia ingenio proprio et idioethnico praeditus fuit uterque Populus. Nam *Oscus* immotus, constans, veterum morum tenacissimus: *Latinus* contra mobilis, inquietus, xenophilus, amator novitatis, facile cum aliis populis societatem iniens, et se se intime cum eis miscens: Et primum cum ipsis *Oscis*, ex quibus et partem linguae, et instituta characteristica ado-

ptavit: tum cum Pelasgis Thessalis, quos ita in Pagos et Civitates suas diffudit et dispersit, ita intime cum eis se miscuit, ut Dionysius Halic. I. pag. 18. 19. tenere et praedicare potuisset absurdam fabulam, eos infanda calamitate omnes fuisse absumptos, vel in remotas regiones fugatos. Vid. *Tentam*. nostr. *Etrusc.* pag. 5. 6. Aequali facilitate miscuit sese Graecis, et Gallis, et ita porro: *Oscus* contra, ut dicebamus, fixus et immotus *Etruscos* in Campania constitutos vel perdidit, vel transformavit, ut Graecos in agris vicinis habitantes vel perdidit bello, ut Strabo VI. pag. 253. queritur, vel, ut Cumanos, teste Velleio Campano lib. I. p. 31. immutavit.

2. Secundo, quia Pantheum Latinorum characteristicum: nempe *Ianus*, *Saturnus*, *Picus*, *Faunus*, *Angerona*, *Camese* etc. non fuerunt *Oscis*, quod impossibile si fuissent populi homogenei et homophyli.

III. *Osci et Graeci Italici habendi pariter sunt Populi invicem diversi.*

1. Nam omnes Scriptores veteres ut prorsus heterotropos, et heterodiaetos *Oscos*, et *Graecos* exhibuerunt: imo ita mutuo pertinaciter infensos, ut non potuissent unâ coexistere, incessanti bello sese atterentes, et perdentes. Strabo libr. VI. pag. 253. 254. singillatim adnotabat Graecas civitates in magna Graecia fundatas vicinitate Lucanorum et Brutiorum barbarificatas, quod etiam ex Athenaei *Deipnos*. Lib. XIV. c. 31. p. 632. 633. colligitur. Velleius Paterculus, ut modo innuimus, libr. I. p. 31. scribebat: *Cumanos* (Graecos) *Osca vicinia mutavit.* Dionysius Halic. libr. I. p. 75. ut alibi innuimus, queritur Romanos omnem barbariem non deposuisse quia *Opicos* nempe *Oscos* in civitatem receperant. Plato, vel quisquis est auctor Epist. 8. ad *Dionem* Syracus. acerbius etiam queritur numero et audacia *Opicorum* infirmos esse Graecos in Sicilia, et vereri ne

Hellenica civilitas ab *Opica* barbarie perderetur. Quin plures Scriptores Graecos solitos acriter ridere, et calumniari ipsos Romanos, quasi *Oscos* et *Opicos*, ex iustis querelis Catonis et Plinii Secundi in libro XXIX. *Hist. nat.* cap. IX. pag. 189. colligimus. Ergo, ut dicebamus *Osci* et *Graeci* prorsus heterotropi et heterodiaeti invicem extiterunt.

At forsan obiicies: si fundus Gentis *Oscae* factus est ex *Oenotriis*, *Chaoniis*, *Peucetiis*, qui sunt *Arcades*; et *Arcades* Graeci, quî, obsecro, potuerunt *Osci* et *Graeci* tam immaniter mutuo discrepare? Respondeo: quia *Arcades* non fuerunt *Hellenes*, quia *Pelasgi* non *Hellenes*: quia *Pelasgi* omnes immaniter revera discreparunt ab *Hellenibus*, quos nos dicimus *Graecos*, ut iam animadvertimus in *Tentam.* nostro *Etrusco* I. Part. pag. 74. 78. Et si *Arcades* sunt in Graecia temporibus vel recentissimis, hi non sunt amplius *Arcades* Pelasgi et Lycaonici, sed *Arcades* facti *Hellenes* lingua et moribus. Quin Epirotae, Thessali, Macedones ipsis Aeolidis prognati ipso adhuc primo saeculo Prochristiano ita immaniter ab Hellenibus discrepabant, ut inter genuinos Hellenes non recenserentur. *Osci* igitur *Arcades* vetustissimi non modo potuerunt, sed debuerunt immaniter discrepare ab *Hellenibus* maxime temporum Dionysii Halic. et Strabonis.

IV. *Osci et Galli Adpadani populi plane diversi etiam habendi sunt.*

1. Primo, quia moribus, institutis, ipsaque forma corporis ita discreparunt; ut nulla possit mutua comparatio institui. Quod agnovit et fassus est ipse Germanus homo Philippus Cluverius in *Ital. antiq.* II. cap. 4. pag. 593. et Angli Scriptores *Histor. univ.* Tom. XXXIV. p. 4. 5. vers. Gallic.

2. Secundo, quia *Osci* in Italia vetustissimi, et plane principes, ut ex Dionys. Halic. c. I p. 23. 24. Strabone libr. V. pag. 228. 229. Plinio libr. III. c.

14. pag. 221. 122. Floro libr. I. cap. 17. Aeliano lib. IX. cap. 16. pag 27. 28. Tom. II. aliisque pluribus constat. Gallorum contra Gens in Italia recentissima, et ante Tarquinii Prisci tempora prorsus ignota.

Obiicies: Atqui ex Solino in *Polyhistor.* cap. 2. p. 10. edit. *Salmas.* ex Servio ad *Virg. Aen.* XII. v. 753. ex Isidoro *Etymol.* IX. cap. 4. pag. 240. ex Isacio Tzetze ad *Lycophr.* v. 1360. pag. 199. colligitur, aliquot Scriptores veteres, ut *Bocchus* et *M. Antonius*, facere *Umbros progeniem Gallorum veterum.* Ita quidem: At aio per paucissima haec et tenuissimae auctoritatis *verba* plerosque Scriptores Gallos origines tum suas tum nostras absurde saepius confudisse et quasi perdidisse: Ita ut possemus omni iure et nos istam Scriptorum plane obscurorum auctoritatem reiicere, ut fecit Cluverius loc. cit. pag. 592. 593. At aequiore etiam indicio utentes, si Scriptores isti affirmarunt progeniem *Gallorum veterum* esse *Umbros*, ergo non *recentiorum*, ergo non *Gallorum Druidicorum.* Atqui vel V saeculo Christiano erant adhuc in *Galliis* quatuor genera *Gallorum* diversa, quoad mores, instituta, linguam, tribum: quorum tria indicavit et distinxit maximus Caesar initio operis sui de *Bell. Gall.* quartum Strabo lib. IV. pag. 176. 177. aliique: et quod quartum genus esset factum a *Gallis Narbonensibus* iam fere Romanis vel aetate Caesaris. Atqui hi revera ex maxima parte *Osci* et *Umbri* moribus et Pantheo *Pelasgico*, et qui in eam provinciam per Italiam et Padum pervenerant fratribus non filiis *Umbris* ad *Sapim* et *Aesim* relictis. Hi profecto *Celtae* non Transalpini non Inalpini, non ex Alpibus Rhaeticis et Tridentinis ruentes., sed ex *Illyrio*, *Pannonia*, et *Epiro*, quae sedes verae et genuinae plurimarum Tribuum *Celticarum* cum *Oscis* profecti, *Italia* relicta *Galliae* fines occuparunt: hi tunicati, togati, Cryptis sepulcralibus utentes, non brachati, non

nudi, non Hylobii, non Iconoclastae, ut *Galli Druidici* etc. etc. Atqui Galli, qui Italiae partem Norticam occuparunt, fuerunt ex *Gallis Druidicis* recentioribus et plane heterodiaetis, heteroglossis, et heterotropis, tum a *Celtis Narbonensibus*, tum ab *Oscis Italicis*.

SECTIO III.

INDICANTUR INSTITUTA OSCORUM CIVILIA CHARACTERISTICA, ET NATURA POLITICI OSCORUM REGIMINIS DEFINITUR.

I. *Ver sacrum.*

Ver sacrum, scribebat Paulus ex Festo, et ipsis fere verbis Servius ad Aen. VII. v. 796., *vovendi mos fuit Italis*, qui proprie et vere sunt uni *Osci* in *Italia*: *magnis enim periculis adducti vovebant quaecumqne proximo vere nata essent apud se animalia immolaturos; sed quum crudele videretur pueros ac puellas innocentes interficere, productos in adultam aetatem velabant, atque ita extra fines suos exigebant.* Moremque hunc Arcadibus et Oenotriis Italicis, nempe *Oscis*, ut aequum erat, adtribuit Dionysius Halic. lib. I. pag. 10. et libr. II. pag. 77. Tum vetustus Romanus Historicus Sisenna morem hunc *Sabinis* tribuit apud Nonium Marcellum cap. XII p. 522. Quin *Vere Sacro* ex *Proto-Sabinis* ortos *Samnites* testatur Strabo libr. V. pag. 250. ex ipsis *Proto-Sabinis* per aliud *Ver sacrum* ortos *Picentes* testatur Plinius libr. III. c. 13. p. 120. Ex *Samnitibus* porro per *Ver sacrum* ortos *Mamertinos* auctor Festus in *Voce*. Tum *Ardeates* in Latio, ipsasque *Sacranas* Gentes ortas ex *Vere sacro* aliqui arbitrabantur apud Servium in Aeneid. VII. v. 796.

Fuisse autem hunc morem plane characteristicum *Oscorum* inde certo arguimus, quod de nulla alia gente per indubias traditiones, et Historica testimonia idem

mos sit relatus. Nam *ver sacrum* Latinorum, sive potius Romanorum, de quo Livius lib. XXII. cap. 9. p.85. Libr. XXXIII c. 44. pag. 109. et XXXIV. cap. 44. pag. 147 egit, una bruta animalia spectabat: Et si Dionysius loc. cit. *Oscorum ver sacrum* etiam *Graecis* suis attribuit, factum id vel ex Graecula iactantia, vel quia institutum *Arcadicum* necessario etiam Hellenicum, ex solemni praeiudicio, putaverit.

II. *Convivia Tribulia.*

Inter mores *Oscorum* characteristicos ille etiam est recensendus, quo Vici, Pagi, Civitates, Urbes *Oscae* quae contribules essent, vel foedere politico sociatae unâ quotannis in certo Festo et loco Epulas et Convivia celebrarent. Huius moris auctorem *Italum Oenotrium* in Brutiorum regione habitantem facit doctissimus Aristoteles *Politicor. Libr.* VII. cap. 10. et adeo vetustissimum. Nam *Italo* hoc *Oenotrio* et Minoem Cretensem, et Lycurgum Dorium, qui publica Convivia probarunt sunt multo recentiores. *Oscorum* autem *Epulae* Politicae nec Cretensibus nec Spartanis similes haberi et dici possunt, sed omnino *Feriis*, sive *Conviviis Latinis*, de quibus Dionysius Halic. libr. IV. pag. 250. libr. VI. p. 415. Plutarchus in *Camillo* I. Oper. p. 151. Macrobius *Saturn.* I. cap. 16. p. 226. 227. aliique plura retulerunt. Illudque me *Oscas* Inscriptiones expendenti perculit plures ex eis, vel de his ipsis *Epulis Oscis* atque Italicis agere, vel ad eas posse referri. Nam Tabula *Bantina* tota est de his *Epulis* Tribulibus et Fratriacis: Tota etiam Inscriptio *Bastensis*, et dici etiam potest *Veliterna* et Volsca. Nam quamvis Festum fundamentale sit *Lustrum* et *Census*, quum *Lustrum* et *Census* in Epulum *Tribule* et *Fratriacum* resolvatur perinde est. Foedus Nolanorum atque Abellanorum absque TANCINU et Convivio Tribuli non est: Et ita porro. etc.

III. *Multae vel Mulctae pecuniariae.*

Vox *Multa* vel *Mulcta*, quae in Latina Lingua, in Linguis Romaicis, et adeo in Legibus nostris superfuit, origine *Osca* est, causasque Vocis quaesivimus hic Sect. XII. n. 12. Adeoque *Osci* primi et vetustiores habendi sunt Auctores *Mulctarum*, sive *poenarum*, quae per *pecuniam*, et *pecora* exsolverentur: De quibus iam Gellius plura XI. Noct. Actic. I. p. 261. 262. hinc Brissonius, Vossius, Mazochius, aliique adnotarunt. Quae facinora, quae scelera, quae peccata Civilia et Politica *Mulctis Osci* subiecerint, ignotum: illud vero certum *Mulctarum* Usum apud eos fuisse plane frequentem et familiarem: adeo ut ex *aere multatitio*, ut dicebant Romani *Oscophili*, non tantum *Convivia* sua *Tribulia* facerent splendidiora et lautiora, sed plura Opera publica, Viarum strata, et Aedes conderent atque extruerent ad communem utilitatem et commodum, ut egomet ex pluribus Inscriptionibus collegi, quae in *Tentamine Hermen.* referentur.

IV. *Nummorum cura.*

Nullam veterem Gentem, ne Graeca quidem excepta, prae *Italica* atque *Osca* Nummorum curam habuisse, ut iam monuimus in *Tentamine* nostro *Herm. Etrusco* pag. 51. certum est. Nam nulli veteri Genti, est *Gaza Numismatica* ita copiosa, ita varia, ita dives, ita antiqua ac Italicae, etsi numquam Italia metallis Numismaticis abundaverit. Verum quidem est plurimos Italicos Nummos deberi Civitatibus Graecis, singillatim Siculis. At quum Graecorum indigenarum Numismatica Gaza numero, varietate, copia nummorum Italicae sit inferior; iure Nummorum Italicorum copiam et varietatem ingenio *Oscorum*, qui Hellenes facti sunt in Civitatibus Hellenum tribuendam esse arbitror. Nec ut istam *Oscam* praeeminentiam in *Nummis* teneam et profitear necesse mihi est cum Melchiorre Delphico in *Antica Numismatica* di *Atri* etc. omnem fere veterem Historiam per-

vertere, et de originibus nostris quasi Romanensem fabulam condere, quum contra teneam nullibi Iconica Numismata sive fusa sive cusa extitisse ante VI saeculum prochristianum, nec prorsus primum in Italia. At vel tum *Oscos Italicos* fecisse quod eorum Apogoni fecerunt Saeculo XV. desinente, quum scilicet Typographicam Librorum Artem alibi inventam et detectam ita rapide avide et statim susceperunt et excoluerunt, ut reliquis omnibus praestantiores clariores et praeeminentiores evaserint. Nam primam prorsus ideam, primum consilium, primas methodos sive cudendi sive fundendi *Nummos Iconicos Oscis* vel *Graecis* Italicis absque certis argumentis, testimoniis, auctoritatibus, et documentis tribuere et adsignare nec possumus nec debemus.

V. ***Regimen Oscorum non fuit Aristocratia Sacerdotalis, ut Etrusca; nec militaris, ut Cretensis, Laconica, Thessalica.***

Nam nulla *Oscis* Collegia Sacerdotalia, Aristocratice et Politice constituta, nullae Congregationes sacrae distinctae, separatae, coniuratae. Sed Sacerdotes Gentis ipsi Patresfamilias, vel aliqui pii et spectati Seniores, Viri qui Deorum magis amici esse viderentur, et quibus sacrorum cura esset specialiter deputata. Neque porro apud *Oscos* Bellatorum et Militum ordo fuit prorsus alius et distinctus ab ordine, et classe Agricolarum et Pastorum, ut apud Aegyptios, Cretenses, Lacones, Thessalos; sed ipsi Milites Agricolae et Pastores, ut Romani. Nec fuerunt Oscis politice constituti Servi et mancipia, non Servorum classis et plebs, ut Clarotae et Mnoitae Cretensibus, Hilotae Laconibus, Penestae Thessalis.

VI. ***Regimen Oscorum non fuit pura et propria Democratia.***

Nam purae Democratiae impossibiles, illae scilicet quibus singulis hominibus eadem essent iura civilia, et omnibus aequa: et adeo nullae fuerunt apud Vete-

res. Athenis namque civitate quae liberrima volebat haberi, inter plurimas Capitum et Animarum Myriades, paulloplus quam vigintimillia Civium, quibus nempe aequa essent Civitatis iura numerabantur. Data porro vita bellica veterum Gentium, maxime *Oscorum* et *Samnitium*, et adeo necessitate et facilitate cumulandi Mancipia innumera; data Piratica Etrusca, dato Mancipiorum commercio quotidiano, quis puram et Isonomicam Democratiam inter *Oscos* quaesierit? Praeterea in nulla vera Democratia possunt haberi *Convivia Tribulia*, ut fuerunt *Oscis*, tum quia tenues et inopes non possunt conferre vectigal divitum, tum quia ditissimi et potentiores numquam cum inopibus et tenuibus mensam divident: Nec in pura Democratia, si daretur, posset institui et celebrari systema *Mulctarum*. Nam pauperes et inopes quacumque poena et damno exempti et expertes, quia solvendo non essent, impune Rempublicam perderent, unique divites plecterentur, et fierent inopes.

VII. *Oscorum Regimen habenda Aristocratia temperata, Plutarchica, et Gerontarchica.*

Nam, ut iam monuimus, ubi Populus non est divisus in Classes diversas et incommunicabiles, sed quasi totus et unus exhibetur, tum Aristocratia non potest esse nisi aequior et temperata, et necesse est Gentem regi et gubernari per *Senatum* et *Plutarchiam*, ut factum ex parte Athenis a Solonis aetate, et Romae post Censum Servii Tullii, et per fundamenta posita vere et proprie a quinto Urbis saeculo. Fuisse autem revera *Plutarchicum* et *Censuisticum* Regimen *Oscorum* mores illi characteristici data opera a nobis supra indicati pag. 9. 12. evidenter ostendunt. Nam *Convivia Tribulia* nonnisi per *Censum* possunt celebrari, tum ratione magni sumptus, tum numeri Convivarum, qui debet dari commodus et rationalis, *Mulctarum* Institutio non modo clare indicat Regimen *Plutarchicum*, sed illud unum demonstrat et

flagitat; quum in nullo alio Regimine possint consistere et durare. At in Regimine *Plutarchico*, quo quis ditior ac opulentior etiam est honoratior, et Reipublicae gerendae et gubernandae aptior, et propior, et ut propior habeatur sapientissime Leges *Mulctis* utuntur. Nam per *Mulctas* pravi et mali cives facti inopes a Republica arceantur et removentur; Et alii plures seduli et attenti sunt ne peccent, et errent, ne facti per *mulctas* pauperes ab honoribus, muneribus, dignitate, et potestate removeantur. Tandem ipsam hanc *Plutarchiam* et *Censuismum Oscum* cura illa *Nummorum*, quam dicebamus, aperte indicat et firmat.

VIII. *Principes Reipublicae Oscae non Optimates, et Nobiles hereditarii, sed ipsi Magistratus, ipsi custodes et interpretes Legum fuisse videntur.*

Nam nulla nomina Gentilia *Osca* certae et Aristocraticae ambitionis ad nos pervenerunt. Quin saepe prolata *Nomina*, quae in quocumque Systemate Hermeneutico pro Legum et Iurium vindicibus et custodibus sunt explicanda; ut MEDDIX TUTICUS; KUAISTUR; AADIRANS; EITUB; etc., quae locis suis examinantur.

IX. *Fuisse etiam Oscis Urbes quasdam, vel utcumque Loca speciatim destinata ad lites componendas et iustitiam exercendam dubitari non potest.*

Nam si certum est ex una parte plurimos *Oscos* vixisse *vicatim*, et sparsos habitasse per *pagos*: Si aeque certum non potuisse erigi Tribunalia per singulos *Vicos*, et *Pagos*. Si ex alia parte etiam certum fuisse *Oscis* magistratus et vindices ac custodes Legum, aeque certo tenendum est fuisse et Urbes et Oppida et Loca, quibus hi Magistratus, Iudices, Iurisperiti colligerentur, et de iure responderent.

Ex his autem sive Oppidis sive locis, quae ipso nomine usum et destinationem suam significarent putamus esse AEQUUM TUTICUM in Hirpinis. Sunt qui

decepti a barbaro Geographo *Aequum Tuticum* habent quasi *Equum magnum*: quae falsa et absurda. At contra quum sit vehementer probabile circa *Aequum Tuticum*, *Aeculanum*, et *Aecam* Hirpinorum gentem *Aequam* consedisse consanguineam *Aequis Faliscis* pariter *Hirpinis*, qui consederant in *Etruria* Tiberina; quum hi ut ceteri *Aequi* laude Legum, utut traditionalium, et Iurium civilium conditorum insignes ferrentur, ita ut ab *aequitate* et *iustitia* nomen adeptos fuisse tenendum fit; fit pariter vehementer probabile et *Aequo Tutico* Samnitium ob causam eamdem huiusmodi nomen adhaesisse: et maxime, quia adest characteristicum TUTICUS, sive *legum vindex* et *tutor*, ut diximus Sect. XII. in *Meddix Tuticus*. At undenam, inquies, hoc sensu est *Aequu*? Arbitror quasi AI-QUE nempe אי-קוה AI-QUE, nempe *Terra locus* sedes *lineae*, *funiculi*, *mensurae*, *regulae*, *amussis*, *legis*; quae plane opportuna. Et fere simile est Etymon *Aeculani*, nempe לון, LUN, לאן, LAN *sedes*, *hospitium habitaculum*, *Aecu*, קוה QUE *Regulae*, *legis*, *aequitatis*, Iustitiae, vel virorum *aequorum*, *Iustitiam* et Iura tribuentium.

2. TIANUM SIDICINUM etiam dicerem atque haberem *Tribunal* Ausonum et *Idio-Oscorum* Campanorum. Nam TIANU fit mea sententia a דין DIN *iudicare*, lites decernere, et דיאן DIAN *Tribunal* pressius TIANU, SIDIKINU vero est SIDICI-NU, est NU, נוה, NUE, *sedes*, locus, habitatio צדיק, TZDIQ, SIDIK, SIDICI *Iustitiae*, *aequitatis*.

3. Quod *Tribunal* agnoscerem etiam in TIANO Appulo plane homonymo, ex magni Strabonis confessione, et maxime quia dictum fuit TIATI vel TEATE, ut ex Nummis repertis, et per alia argumenta Viri doctissimi arbitrabantur. Nam TIANU TIATI est ipsum דיאן-דאת DIAN-DAT, *Iudicium Legum*, *Tribunal Iuris*, Sedes Doctrinae Iuridicae.

4. Aliud Oppidum quo *Osca* iura redderentur habendi *Puteoli* in Sinu Misenate. Nam occupata a Samnitibus universa Campania, et ipsa Neapoli Graeca Campanis oppleta, ut Strabo singillatim animadvertit, et Cumis immutatis a *vicinia Osca*, ut Velleius fatebatur, *Puteoli* non potuerunt esse nisi Iuris et oris *Osci* a quinto saeculo prochristiano, ut ex Diodoro libr. XII. cap. 31. p. 498. Livio libr. IV. cap. 37. p. 285: aliisque colligimus. Cur autem hoc oppidum constanter Graeci appellassent Δικαιαρχιαν, nisi quia Campanis esset αρχη δικης? *Iustitiae* sive iurisprudentiae *fons* et *caput*? Locus quo *Dicarcha* sive Praefectus iuri dicundo maneret? Quin praeclara eruditione Nicolaus Ignarra ad *Buthys. Agon.* pag. 185. 186. nomen *Puteolorum* a *Puteali Iuridico* et Magistratus factum demonstrat. At quodnam, cedo, erit nomen *Oscum*, nomen Patrium huius *Dicaearchiae Oscae.* Ego teneo esse PHISTULIS: Nam PHISTULIS fit a פצה PHTZE, PHISTU liberans, *redimens*, auferens, *solvens*, et LIS ipsum *lis litis* Latinorum a לזה, LZE, LITE; לצ LTZ LIT, לשא, LSA, *perversitates*, *perfidias*, pravitates, furta, rapinas: et si vellem appellare SISTULIS perinde esset. Nam ששט SSTH vel etiam ששה SISTU est *ordinare componere* disponere constituere: quod faciunt Δικαιαρχεια Graecorum, et *Puteoli* Romanornm.

Haec autem ipsa vox PHISTULIS et quandoque SISTULIS, legitur in parvo nummo argenteo *Osco*, de quo hactenus concertationes gravissimae et diuturnae inter literatos viros extiterunt, pluresque de eo scripserunt et disceptarunt, ut Passerius in *Symbol. Gorian. Florent.* II. p. 13. Mazochius ad *Tabul. Heracl.* pag. 510. 512. Magnonius de *veris Paesti originibus:* Ignarra de *Buthys. Agon.* pag. 262. 263. Lanzius *Saggio* T. III. pag. 604. 605. At illud certum est, debetque manere exploratum inter omnes, Symbola Nummo huic adposita indicare manifesto

Oppidum maritimum, et omnino ditionis Cumanae, quia ipsa sunt ac Symbola Nummorum Cumanorum. Atqui Strabone teste *Puteoli* navale Cumanorum. Tum data litera s sive *Epenthica* sive Aphaeretica, ut fuit veteribus Romanis, quibus fuit *Casmilla* et *Camilla*, *Casmoena* et *Camoena*, *Stlis* et *lis* PHISTULI et PUTEOLI sunt prorsus unum.

SECTIO IV.

PLERASQUE OSCORUM ITALICORUM TRIBUS EX PELASGIS DODONAEIS ET ARCADIBUS EPIROTIS FACTAS TENENDUM EST.

I. *Primo, quia Epirus et Illyrium omnium Regionum opportunissimae habendae sunt ad primas Colonias in Italiam fundendas et transducendas.*

Nam dato in *Assyria* et *Armenia* centro humanae Ethnosporados post Cladem Babelicam XXV. circiter saeculo Prochristiano factam, nulla opportunior, nulla aptior Regio, ex qua Coloni et incolae transferri possent mature et saepius in *Italiam*, quam *Epirus*, et *Illyrium*. Nam ex *Assyria* patens et facilis via in minorem *Asiam*, et hinc per Hellespontum in Thraciam, Macedoniam, *Epirum*, atque *Illyrium*, et aeque facile et necessarium auctis et multiplicatis Tribubus transfretare in *Italiam*, eamque occupare et tenere. Nosque iam in *Tentam. Herm. Etrusco* pag. 33. 37. ut prorsus absurdum refutavimus Frereti, Bardetti, et aliorum commentum, qui sinus Ionici et maris Adriatici transfretationem recentioribus tantum temporibus possibilem autumarunt, primosque adeo et vetustiores omnes Italiae Colonos ex horridis Alpium iugis, et nivosis rupibus demiserunt. Centrum autem humanae Ethnosporados, non una nos auctoritate Librorum sacrorum Hebraeorum in Assyria ponimus et tene-

mus: sed etiam quod ita ponunt et tenent universi Syri, Arabes, Armeni, Georgiani, Persae, Bactriani, et Christiani veteres, et ex recentioribus plures doctissimi. Mihique id acrius et profundius quaerenti, ut opinionem eorum potissimum, qui circa Himalaiam Indorum, vel magnum Tartariae Gibbum primas, vetustiores, et praestantiores Gentes humanas collocant refellerem, plura alia et gravissima argumenta oblata sunt, et omnes maximae et potentissimae Gentes Scythicae nempe Germanicae, Sarmaticae, Hunnicae, Turcicae circa Caucasum, Araxem, Taurum, Tanaim, et Volgam inventae sunt: Tum quae alibi, Deo dante, opportuniore loco referentur; unum modo repeto, quod propius ad rem facit, omnes scilicet claras et insignes Gentes veteres positas fuisse infra gradum 45. latitudinis Norticae, nec unam posse excitari, ante VI. Saeculum Prochristianum, quae ultra gradum 46. posita, magna aliqua opera peregisset: quod factum tum ex opportuniore et faciliore Coloniarum directione circa grad. 36—45.: tum Climatum Norticorum intractabilitate ob immania frigora et perpetuas nives, et nemora et sylvas interminabiles. Quamobrem nulla regio esse potuit prae *Epiro* opportunior ad primas Colonias in *Italiam* fundendas et transducendas, ut dicebamus.

II. *Secundo, quia amplissima Gens Pelasgorum Arcadum ex Atlantiis, Dardaniis, et Colchis facta, et ex quibus Oscorum Italicorum Gens coaluit, non potest nisi in Epiro atque Illyrio collocari.*

Fundum Gentis nostrae *Oscae* factum, ut iam innuimus, ex *Pelasgis Arcadicis* indubium est. Nam Regiam Sedem *Oenotriorum* in *Lucania* positam sive *Lycaonia* mea et *Bruliis* omnes norunt, pluresque Scriptores veteres *Oenotrios* alios in *Campania*, alios in *Latio* veteri, alios in *Sabinis* rectissime posuerunt: quia venientes Tribus in Italiam non in una eius Regione congregabantur, sed quasi totam imple-

bant, unde magnus Virgilius I. v. 532. canebat: Italiam *Oenotrii coluere viri.* Verum quidem est, quod istos *Oenotrios* et *Arcades* Italicos Historici veteres ex Peloponneso educunt; At id factum, quod aetate sua una *Arcadia* Peloponnesiaca superesset clara et nota, *Epirotica* nulla, genuinis *Arcadibus* in Italiam translatis. At temporibus vetustioribus antequam Tribus Deucalioneae, Aeolicae, et Lelegicae *Pelasgos* profligassent, et omnem Macedoniam, Thessaliam, atque Epirum occupassent, has ipsas Regiones a *Pelasgis Arcadibus Atlantiis* et *Dardaniis*, sive Oscis habitatas omnino tenendum est. Dolet hoc historicum Theorema neminem, quem sciam, in plenam lucem prolixa analysi posuisse; quum ea quae adtulit Salmasius de *Lingua Hellenist.* pag. 275. ad 440, nec omnia sint, nec adeo clara; ita ut R. Rochette in *Hist. des Colonies* I. pag. 218. 219. post alios plurimos potuerit veteri errori inhaerere. Dolet nec me modo facere posse; sed iuvat sensisse facilem futuram demonstrationem plenam Lectori sollerti, si omnes traditiones et mythos rite expenderit et explicaverit. Et profecto si Lycaonis Pelasgici et *Arcadici* filii sive quinquaginta sive plusquam *viginti*, de quibus egerunt Apollodorus libr. III. cap. 8. edit. Heyne Tom. II. p. 265. Pausanias libr. VIII. cap. 22. Tzetzes *ad Lycoph.* v. 481. 482. Dionysius Halic. libr. I. pag. 9. 10. habendi sunt Symbola *Regionum*, quas occupaverint; et *Populorum*, quos genuerint, ineptus et absurdus utique ille est habendus, qui has *Regiones* et hos *Populos* in tenuissima *Arcadia* quaesierit. Et si inter hos filios Pelasgi Lycaonis fuerunt *Thesprotus*, *Telebous*, *Phthius*, *Aemon*, *Macedon*, et si dementia est in *Arcadia* Peloponnesiaca *Thesprotiam*, *Phthiam*, *Thessaliam*, *Macedoniam* quaerere, dicemus utique *Lycaonis Arcadis* filios diu habitata et possessa *Epiro*, *Thessalia*, *Macedonia* pulsos a Deucalioniadis *Arcadicam* Peloponnesiacam in Graecia, et *Ausonicam* sive *Oscam* in Italia condidisse;

quod nec receptis Traditionibus adversatur, et recto rerum humanarum cursui convenit. Praeterea haud leve est Nicandrum Mythologum apud Anton. Liberalem *Metam.* cap. 31. Lycaoni Autocththoni filios tribuere *Iapygem*, *Daunium*, *Peucetium*, qui *Italiam* orientalem occupaverint cum exercitu *Illyriorum* et *Messapiorum*. Quis, obsecro, quaesierit *Illyrium* et *Messapiam* in montibus angustissimae Arcadiae Hellenicae?

Obiicies: nullos *Oenotrios*, et nullos *Italos* in *Epiro* atque *Illyrio* occurrere et inveniri. Quin ego contra aio in *Aetolis* esse *Italos* pronuntiatione tantum diversa: Et *Oenotrios* esse agnoscendos in *Oenianis* et *Oeniadis*: Nam *Oeniani* et *Oeniadae* Epirotae sunt *Oenii primi*, quasi *uni*, *Oeni-adae* אחד AHD ADAE *uni primi* et *Oen-otrii* Italici sunt *Oenii* alteri תרי TRI, ἑτεροι, secundi.

III. *Tertio, quia Mythice et Historice certum est plures Colonias Oscas ex Epiro et Illyrio in Italiam advenisse.*

1. *Coloniae Dardaniae:*

Sive *Dardanio-Arcadicae*, et *Dardanio-Atlanticae*: Nam Stirpes, ut initio innuimus, ab antiquis temporibus coniunctae intime et penitus mixtae. Atqui circa *Epirum* et *Illyrium* fuisse plurimas Colonias *Dardaniorum*, *Phrygum*, et *Elymaeorum* ingenti veterum Scriptorum auctoritate constat. Nobis est satis hic longe doctissimus Virgilius, qui *Aen.* III. v. 500. 505. ita Dardanium Aeneam *Epirotica* Buthroto excedentem alloquentem inducit Helenum et Andromacham *Dardanios* pariter et Phryges:

Si quando Tybrim, vicinaque Tybridis arva
Intraro, Gentique meae data moenia cernam,
Cognatasque urbes olim Populosque propinquos
Epiro, Hesperia, quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem casus, unam faciemus utramque
Troiam animis. etc.

2. *Coloniae Diomedaeae.*

Scilicet Coloniae *Diomedis Aetoli*, sive *Oeniadae*, ex Oeniadis, sive ex *Oeniis* primis, fratribus *Oeniorum secundorum*, sive *Oenotriorum*, ut diximus modo. Eaeque plures maxime per *Dauniam* et *Messapiam*, quas praeter ceteros indicat saepius doctissimus Servius potissimum ad *Aen.* VIII. v. 9. 10. et XI. v. 245. 246. scribens: *Sane Diomedes multas condidisse per Apuliam dicitur Civitates: Argirippam, Venusiam, Canusium, Salapiam, Sipontum, Garganum, Luceriam, Aequum Tuticum, Beneventum, Venafrum*, etc. Vid. et R. Rochette *Des Colon.* Tom. II. pag. 306. 308. Is autem *Diomedes* non est Argivus erro, et miles Troianus, sed Typus magnus et divinus *Panthei Dodonaei*, cui Sacrum fiebat *Equo Albo*, qui *Persicus*, et adeo *Colchicus*, et *Ausonius* mos characteristicus.

3. *Coloniae Ulyssaeae, et Sirenenses.*

Nam circa Baias, Misenum, Neapolim, Surrentum, Temesam, Siritim, Scylecaeum, circa Insulas Sirenusias et Ithacesias plura et certa argumenta sunt Coloniarum *Ulyssaearum*, et Sirenensium. Is autem *Ulysses Sirenoctonus* non est mendicus et erro Ithacensis, ut fabulae Hellenum recentiorum exhibuerunt; Sed Gemellus *Diomedis Dodonaei*, sed Typus divinus classicus fundamentalis *Panthei Dodonaei*, et adeo *Italici* et *Ausonii* vetustissimi. *Ulysses* iste est intime coniunctus cum *Sirenibus Acheloidis*, cum *Calypsone* Atlantia, et cum *Circe Hyperionia* et *Heliaca*, quae etiam spectant ad Pantheum *Ausonium* et *Oscum*; et *Sirenes* intime cum *Proserpina* et *Acheloo*, et *Achelous* et *Proserpina* cum *Cosmogonia* profunda et praeclara *Panthei Dodonaei* et *Ausonii.*

4. *Coloniae Chalcidicae Abantiades Campanae.*

Equidem nollem affirmare ex magna Euboea Insula nullam Coloniam *Chalcidicam* ad littora nostra perlatam: At arbitror eos vehementer errare, qui omnes Colonias *Chalcidicas*, et *Abantiacas* ex Euboea Insula et Aulide educunt: Tum quia haud esse potuit capax tot Coloniarum *Euboea*, tum quia attente examinatis et consideratis nominibus, auctoribus, aetate, et circumstantiis harum Coloniarum ea minime videntur congruere et convenire Insulae *Euboeae*. Tum tandem quia vetustior amplior potentior sedes *Chalcidicorum* in *Amantiis Illyricis* et *Epiroticis* Gentibus ponenda est. Vid. Iacob. Palmer. in *Graec. ant.* cap. 31. pag. 170. 172. et R. Rochette *Des Colon.* II. pag. 372. 374. etc.: non quod aliqui Euboeenses post bellum Troianum in oras *Epiroticas* eiecti fuissent, quod inepte plures Scholiastae aliique Scriptores veteres tenuerunt; Sed quod potentes et magni Populi ex *Dodonaeo* genere iis in regionibus manere decreverint: Eoque magis, quod nec *Euboea Epirotica* defuit, ut testatur magni *Etymol. Auctor in* Αμαντες. Quin si non sinus Euboeae insularis, sed sinus *Euboeae Epiroticae* dictus *Ionius*, si mare, quo *Epirus* alluitur dictum mare magnae *matris Bovis Euboeae*, utique *Euboeam*, et *Chalcidicos* vetustiores in oris *Epiri* et *Illyrii* quaeremus et inveniemus. Tandem si DOD-ONAEI *Ephyraei* sive *Epirotae* sunt Populi qui auscultant, capiunt, audiunt ענה ONE *responsa*, *vocem*, locutionem, דוד DUD *Lebetum*, sacrorum aheneorum, vasorum aereorum strepentium, ipsi utique sunt CHALCIDICI nempe *Chal-cidici*, sive ii qui audiunt capiunt קול QUL CHAL *vocem*, *sonum* צדיק TZDIQ, CIDIC, *sanctam sacram* ex CHALCI χαλκῳ *aere*, DICI דוח, DUC, דוכ DUK *repulso pulsato*. Et profecto si Propertius libr. I. *Eleg.* XI. v. 3. Litora Baiarum et Miseni appellat *Regna Thesproti*, quidquid contra obiecerit Pellegrinus in *Campan. Dis-*

cors. II. p. 216. 217. aliique: Si Columella Libr. X. *Hort.* v. 130. *Littora* Cumae *Thesprotica* dicit, utique tenendum certo est per Colonias *Dodonaeas* et *Thesprotico-Chalcidicas* haec loca et litora fuisse olim celebrata et repleta. Nec alibi nisi in *Epiro* vetustiores sedes *Campanorum* nostrorum collocare fas est. Nam doctissimus Servius haec ad *Aeneid.* III. v. 334 scribit. *Epirum campos non habere notum est: Sed constat ibi olim Regem nomine Campum fuisse, eiusque posteros Campilidas dictos, et Epirum Campaniam vocatam sicut Alexander Historicus Graecus, et Aristonicus referunt.* Quamobrem hîc *Campus* sive eius filius habendus est *Capys* vel *Campus Capuae* celeberrimae fundator, etiamsi habendus sit *Dardanius*, *Phryx*, et *Troianus*: quia et hi, ut supra innuimus, ex *Epiro* sunt advocandi. Vid. et Servium ad *Aen.* I. v. 6. II. v. 35. X. v. 145. et Silium Italic. libr. XVI. v. 366. 367: etc. tec.

IV. *Quarto, quia etiam Historice certum est plures Populos ad magnam Oscorum Familiam pertinentes ex Epiro atque Illyrio in Italiam advenisse.*

1. *Siculi.*

Siculos ex Illyrio et *Epiro* advenientes non tantum Italiam nostram, sed etiam maximam Italiae Insulam occupasse et habuisse iamdiu Freretus in Act. *Academ. Iscript.* Tom XVIII. hist. p. 75. Rochette *des Colon.* I. pag. 372. aliique plures ex literatis viris Siculis adnotarunt; etsi nemo hactenus, quem sciam, rem pro dignitate, et qua par esset argumentorum copia tractaverit.

2. *Appuli.*

Iapyges, *Daunos*, *Peucetios* ex Illyrio accersit Nicander historiographus apud Antoninum Liberalem *Metam.* cap. 31. pag. 461. ut iam innuimus: *Paediculos* appellatos a Strabone V. pag. 277. et 282.

Peucetios Plinius libr. III. cap. 16. pag. 151. *Daunos* Festus in *Daunia Apulia*. Et quoniam Strabo libr. VI. pag. 285. *Appulos*, *Daunos*, et *Peucetios* plane homoglossos facit, et adeo facere debuit homogeneos, si certum est unum ex his Populis ex *Illyrio* et *Epiro* advenisse, aeque certum et reliquos ex eadem regione advenisse.

3. *Peligni*.

Pelignos praecipuos in bello Marsico sive Italico Populos, et adeo in universa Gente *Osca* ex *Illyrio Italiam* petivisse ex veteribus traditionibus testatur Festus in *Voce*: Et quia Ovidius Pelignus et longe doctissimus facit *Pelignos* suos *Sabinos*, et hos stipitem maximum Gentis *Oscae* ex *Illyrio* vel potius *Epiro Illyrica* advenisse necesse est:

V. *Quinto, quia homonymiae Chorographicae et Topographicae inter Epirum et Italiam Oscam sunt plures et insignes.*

Dolet post labores Iacobi Palmerii in *Graeciae antiquae Descript.* plenam et distinctam Topographiam *Epiri* atque *Illyrici* veteris hactenus desiderari: Dolet leviter tantum locorum comparationem a nonnullis doctis viris institutam. Vid. R. Rochette *des Colon.* I. pag. 229. 230. Dolet et nobis tempus et adiumenta deesse, quibus id satius facere possimus; Tentabimus tamen nonnulla, sperantes fore, ut plura alii addant.

1. *Epirus* et *Hesperia*.

Haec duo Nomina mihi eiusdem sunt originis, eosque vehementer errare puto, qui nomen *Epiri* ab Hellenico Ηπειρω *continente terra* derivant et ducunt: quasi uni *Epirotae* essent in *Continente*, et Graeci, qui eos ita appellarent Iones, Aeoles, Dores, Thessali, Attici, Boeoti habitarent in Insulis, cum *Epirus* sit dubio procul quasi *Ephyraeius* ab *Ephyra Epiri* urbe, et *Ephyraea* Gente *Epirotica* et *Atlantia* et *Hesperia*, ita ab Aeolibus dicta li-

tera s interpolata, quae prius erat *Hiperia* et *Hyperaea*; de more, ut *Casmoena* et *Camoena*, *Casmilla et Camilla* Romanorum.

2. *Atlantii*, *Aetoli*, *Itali*.

Ex eadem radice, pronuntiatione, et Idiomatismo, distincti, ut animadvertimus pag. 20.

3. *Umbri*, *Ombricii*, *Ambracii*.

Scilicet, qui *Umbri* in *Italia Osca* sunt *Ombricii* et *Ambracii* in *Epiro*. Nam ipsi *Umbri* Italici constanter Graecis sunt Ομβριχιοι, et qui in *Epiro* fuerunt *Ambracii* nec nomine nec re differunt, quia *Ambrax* Epirota pater *Ambraciorum* dicebatur filius *Thesproti Lycaonidis* et Arcadis. Vid. Eustathium ad *Dionys. Perieg.* v. 492. Scholia apud Hudson. Tom. IV. pag. 36. Steph. Byzantinum in Αμβραχια.

4. *Aurunci* in Italia, *Oricii* in Epiro.

Haec enim Nomina sunt homiophona, et potest unum in alterum facile transire. Quumque *Oricum* Oppidum *Epiroticum* sive *Chaonium* et *Arcadicum* conditum dicatur a *Colchis*: Vid. Palmerium *Graec. ant. descr.* p. 239. et *Ausones* sive *Aurunci* sint omnino *Circeienses* et *Colchi*, vehementer inde illa homiophonia vocum firmatur.

5. *Oenotrii Italici*, et *Oeniadae* Epirotae.

Ili populi, ut adnotatum iam pag. 20. mihi sunt prorsus fratres, scilicet *Epirotae* sunt *Oenii* primi, et *Italici* sunt *Oenii* secundi ετεροι.

6. *Chones* et *Chaones*.

Chones iu Siritide et Lucania nostra celebres: *Chaones* in Epiro celebriores. Vid. Palmer. Graec. Ant. pag. 229. 230. 232.

7. *Pandosia* Urbs, *Acheron* fluvius, *Acherusia* Palus: In utraque Regione Italica et Epirotica. Vid. Palmer. Oper. cit. pag. 281. 290.

8. *Laus* Fluvius insignis Lucaniae et *Oenotriae*, *Lous* fluvius *Epiri*.

9. *Opicos*, *Opscos*, *Oscos* Italicos agnosco in *Ophiensibus* Aetolorum, qui Thucydidi dicuntur Οφιονεις, Straboni Οφιεις. V. Palmer. pag. 434. 435. Nam Servius ad Aen. VII. v. 730. adnotat. *Oscos Capuenses dicit, qui ante Ophici appellati sunt, quod illic plurimi abundavere serpentes. Nam Graece* οφις *dicitur serpens*. Vid. Mazochium *Comment.* in *Amphith. Campanum* pag. 179 180. edit. 2.

10. *Campani*,

Itali atque *Epirotae*: ut adnotatum supra pag 23.

11. *Testrina* urbs *Proto-Sabinorum*, et *Cestrina Epirotica* habendae homogeneae. Nam omnes sciunt quod *Te*, et *Ce* Italica pronuntiatione, non Ke, sunt literae homiorganicae, et minime heterophonae. Vid. Palmer. pag. 273 274.

12. *Palaeste* Italica, et *Palaeste* Epiri. pag. 240.

13. *Cichyraei*, *Cercyraei*, *Corcyraei* in *Epiro* et Insulis: Palmer. pag. 281. 350. et hi ex Colchico genere. *Circeienses* in Latio, et inter *Ausones*, et hi Colchico genere.

14. *Arusini* Campi in *Lucania*, et *Arusini* campi in *Epiro*. Vid. Avellin. *Opusc.* III. pag. 120 121. etc. etc.

VI. *Sexto*, *quia Taurus Androprosopus Stemma patrium et proprium Oscorum Italicorum, aeque Stemma proprium Aetolorum*, *sive Italorum Epirotarum habendum est.*

Nam, ut notum est, omnes fere Civitates illustres *Oscae* in Italia adsumserunt et celebrarunt hoc *Hieroemblema* in Nummis suis: *Taurum* nempe stantem, ambulantem, humana facie, et virili barba praeditum: de quo loquuti sumus iam ab ann. 1830. in *Tentam. Hermeneut. Generali* pag. 60. 62. ubi ideo appellavimus *Taurum Androprosopum*. Scilicet is *Taurus androprosopus* conspicitur in nummis A. *Campanorum*, ut Neapolis, Nolae, Compulteriae, Calenorum, etc. 2. in Nummis *Samnitium*, ut Aeserniae, Larini etc. 3. *Lucanorum*, ut Murgantiae,

Lainorum, Posidoniae etc. 4. *Appulorum*, ut in nummis Arpani etc. 5. *Brutiorum*, ut in Nummis Mamertinorum, etc. 6. *Siculorum*, ut in Nummis Alontii, Argyrii, Catanae, Gelae, Entellae, Himerae, Selinuntis, Syracusarum, Stiellae, Tauromenii, etc. De quibus vide Magnan. in *Miscellan. Numism.* I. etc. Eckelium de *Doctr. Num. Veter.* T. 1. pag. 130. 131. Minervinium *dell'Etimol. del Monte Vultura* pag. 19. Ignarram de *Buthys. Agon.* ad Palaestr. pag. 249. ad 272. Avellinium *Ital. veter. Numism.* Rasche in *Lexic. Numism.* in *Taur. hum. fac.* p. 690. 691. Siciliam Numismat. Parutae, Burmanni, Turrismutiae etc.

Ipsum autem hoc Hieroemblema etsi dimidiatum et fractum in Nummis Aetolorum, Acarnanum, et singillatim *Oeniadum* conspici notum est, iamque diligenter animadversum ab Ignarra *Oper. cit.* pag. 235. 236. Burmanno ad *Numism. Sicula* pag. 387. 388. aliisque pluribus. Quod Hieroemblema habendum *Stemma* patrium et Gentilitium ipsa Nummorum natura et usus necessario suadet. In eis enim nonnisi characteristicae et distinctivae notae, et Symbola et Criteria insculpi et exhiberi potuerunt, ut Gens a Gente discerneretur, et Populus a Populo significaretur per patrios et proprios Typos. Et si meminerimus pertinaciter et constanter ipsam *Italiam* et *Osco* ore quasi VITELIAM dictam a *Vitulis* Veteres tradidisse, Varronem puta de R. R. II. cap. 5. pag. 76. Columellam *Praef.* ad libr. VI. pag. 304. Gellium *Noct. Act.* XI cap. I pag. 516. Servium ad *Aen.* I. v. 537. Festum in *Italia* pag. 80. etc. etc. non dubitabimus quin *Stemma* patrium et proprium, *Oscorum*, qui uni veri et genuini sunt ITALI et VITELLII, in Ιταλῳ, sive *Vitulo*, et potissimum *Androprosopo* sit inveniendum et tenendum.

VII. *Septimo, quia praecipua Elementa Panthei Osci eadem vel simillima sunt Elementis Panthei Dodonaei et Thesproti.*

1. MARS *Mamers Deus maximus* et *Oracularis*. *Martem* vel *Mamertem* fuisse Deum maximum *Oscorum* nostrorum ex testimonio Festi in *Mamers* et *Mamertini*, ex plurimis Nummis *Oscis*, et illis potissimum cusis Italico et Marsico Bello, et quos ediderunt Abbas Oliverius in *Act. Academ. Corton.* T. II. pag. 49. 50. IV. pag. 133. Minervinus in *Etimolog. del Monte Vulture*. Lanzius *Saggio* III. pag. 604. 605. Eckellius de *Doctrin. Num. veter.* I. pag. 103. 104. Lupolus in *Corfin. Inscript.* edit. 2. pag. 86. 104. Avellinius in Catalog. Numism. *Italiae veter.* pag. 19. 20. et *Supplem.* pag. 3. 4. 5. aliique: Sed, quod dolendum, levissime illustrarunt. Nam Miles ille adsculptus, et neglectus a Nummographis, habendus est ipse MAMERS Auctor et Ductor Belli: nam et seminudus, et pallio inferiora tectus, ut numquam humani milites, sed Dii tantum exhibentur: qui Dei habitus plane certus ex Ectypis vulgatis, evidentissimus ex Ectypis mihi olim traditis ex Tabulis suis iam insculptis a Francisco Carellio. *Bos* autem sive *Taurus* vel procumbens vel quasi *erumpens* est tum *Italicae* Gentis sive *Vitelicae* et *Vitelliae* Symbolum, quia *Bos* Ιταλος *Italis*, ut iam adnotatum: Tum speciatim *Samnitum* Typus, quia *Tauro* Duce *Sabini* prisci Patres Terram *Opicorum* occupaverant, ut distincte narrat Strabo libr. V. pag. 250. et hi Samnites iam summo *Marti* consecrati, ut idem Strabo tradit. *Flammae* vero illae alte *erumpentes*, non sunt *flammae* metaphoricae et allegoricae, ut autumabat Avellinius in *Suppl.* pag. 5. sed *flammae* verae et physicae, quae paullo ante Bellum Italicum in *Samnio* et alibi in *Italia* eruperunt, et Bellum ipsum superstitione acriter stimulante genuerunt et conflarunt. Haec enim Iulius Obsequens in *Libello Prodigiorum* cap. 114. pag. 61. *Quum Bellum Italicum consurgeret prodigia multa apparuerunt Urbi. Sub ortu Solis Globus ignis a*

Septemtrionali regione cum ingenti sono Coeli emicuit...... Aenariae (et ut doctissimi Interpretes recte emendant *Aeserniae*) *Terrae hiatu flamma exorta in Coelum emicuit.* Haec porro accuratius Paulus Orosius libr. V. cap. 18. pag. 335. In *Samnitibus vastissimo hiatu Terrae flamma prorupit, et usque in Coelum extendi visa est. Complures praeterea in itinere videre Romani Globum coloris aurei Coelo ad Terram devolvi, maioremque factum rursus e Terra in sublime ad orientem Solem ferri, ac magnitudine sua ipsum Solem obtexisse.*

Hunc autem *Oscorum Martem* fuisse etiam *Oracularem*, Moeronomum, Fatorumque Gentis monitorem et praenuntium ex Festo in *Mamertini*, ex Strabonis loco citato, et ex ipsis his Nummis Belli Marsici necessario et certo colligitur. Nam ut *Taurum* Ducem a *Marte* missum, ita *flammas* ab ipso *Marte* emissas, ut iniustum iugum excuterent firma persuasione tenere *Samnites* imo omnes *Osci* debuerunt: Et ideo in hoc Hierodramate suum *Martem vas inversum* calcare pede acute Hierographi *Osci* fecerunt. *Vas*, inquam, ut recte vidit Minervinius *Opere cit.* pag. 191. et negavit iniuria Avellinius *Suppl.* pag. 5. Nam *Vase inverso* Rerum et Conditionis pristinae mutationem Hierographi veteres omnes Etrusci, Graeci, Aegyptii, ut per exempla plurima et obvia constat, scite indicabant, et quasi praeteritarum *Sortium* et *Urnae fatalis* mutationem. Hinc *Vas inversum* saepe premitur pede ab *Hercule* in Speculis funebribus Etruscorum, quia ibi *Hercules* non amplius homo et furiosa rabie a Iunone vexatus, sed *Divus* et *Lar.* V. *Panth. Etrusc.* nostr. Sect. VIII. cap. II. n. 2.

Deus autem maximus *Panthei Dodonaei* non fuit Kroni filius *Iupiter* Hellenicus, sed idem *Mars*, ut constat ex testimonio Plutarchi in *Pyrrho.* Oper. I.

pag. 15. Scilicet Deus maximus *Dodonaeus* fuit maximus MAMERS *Oscorum*, immo omnium fere Italorum.

2. VENUS *armata Bellona.*

Deam armatam aliam a *Minerva* cultam fuisse impense ab *Oscis* ex eorum Nummis, quos ediderunt, vel descripserunt Magnanus, Eckelius, Avellinius, aliique, constat. Eamque, etsi iniuria a Nummographis neglectam, habendam esse *Bellonam* et *Venerem*, sive legitimam *Martis* uxorem est certo tenendum. Nam *Venus* Bellica, victrix, armata fuit etiam Romanis, et Etruscis, ut ex eorum pluribus monumentis patet; habitamque semper ab Italis legitimam *Martis* uxorem, non foedam meretriculam, ut Graecis, tum ingens prorsus numerus Hierodramatum, quibus *Mars* et *Venus*, ut sponsi exhibentur, tum traditiones Samothraciae, et Nuptiae Harmoniae *Veneris* et *Martis* filiae demonstrant.

Martis autem *Dodonaei* uxorem habitam *Dionem* cui *Dodoneae Columbae* sacratissimae ex Strabone libr. VII. pag. 328. aliisque colligitur. *Dionem* autem, sive ipsam *Venerem* dictam, sive eius matrem, quod his in disquisitionibus interest parum, iam pluribus ex testimoniis Veterum collegit Larcherus in *Mem. sur Venus.* pag. 121. 122.

3. DIANA, Αρτεμις, *Thana fortasse Oscis.*

Dianam, quam Graeci Αρτεμιν, *Osci* cum pluribus Etruscis probabiliter *Thanam* appellarunt, vehementer coluisse *Oscos* nostros tum ex Nummis eorum, tum ex memoria Templorum huic Deae erectorum, aliisque documentis constat. Characteres et Symbola huius Deae, quae ex originali et natali loco appellata est *Persica* facillime discernuntur, et propterea in Nummis Italicis, quos ediderunt vel descripserunt Eckellius, Magnanius, Daniellius, Avellinius, aliique plures, certo semper Dea haec agnoscetur et determinabitur.

Ipsam autem hanc *Dianam Oscam* et Persicam

fuisse elementum fundamentale *Panthei Dodonaei* et Thesprotici tum ex mythis et fabulis *Oeniadum*, tum ex insigni Mytho Aetolico, quem servavit Antoninus Liberalis Cap. IV. pag 410. 411. tum ex cognomine *Aetolicae*, quod habuit *Diana* Osca et Persica, Pausania teste lib. X. pag. 357. iure colligimus et tenemus.

4. PROSERPINA.

Proserpinam, Περσεφονην Graecorum, *Oscos* nostros etiam impense coluisse dubitari non potest. Et si scientia Symbolographica, non esset, ut est, ita infantilis et tenuis: Si *Oscorum Nummi* non pueriliter tantum descripti; sed ea qua par est diligentia considerati examinati atque explicati et illustrati fuissent, certus sum, quod plura Symbola huius *Deae* facta fuissent manifesta. At etiamsi cogamur iis tantum uti, quae evidentia sunt et recepta, ut *Spicarum* Corona et *Spicae* adpositae, palam est ex Nummis constare ab *Oscis* Deam *Proserpinam* habitam et cultam. Neç obstat haec Symbola ad matrem *Cererem* etiam spectare. Nam si minus Mythice, certe Theologice unum sunt *Ceres*, et *Proserpina*, quod iam Mythosophi doctissimi animadverterunt; iamdiu maximo Poetarum canente; *Liber et alma Ceres.* Quin egomet teneo saepe saltem in *Oscis* Nummis *Caput* sphendonatum, sceptro adposito ad *Proserpinam* referri, quia ipsa per excellentiam Δεσποινα est et Regina; Et quia eadem *Hecate* est, eadem horrenda *Proserpina*, eam agnoscerem in Capite Muliebri prolixis et horridis capillis instructo: Eoque magis, quod PRO-SER-PINA est פרע PRO *coma*, caesarie, *capillis*; SER, שער, SOR, *horridis*, horrentibus, פני, PNI, פנה, PNE PINA *facies*, *vultus* *προσωπον*, Persona:

Quin eamdem *Proserpinam* et Περσεφονην, ex testimonio Dionysii Halic. libr. III. pag. 173. Sub *Feroniae* nomine impense cultam a *Sabinis Proto-Oscis* con-

stat, et ex testimoniis Servii Strabonis et aliorum, ab *Anxuritis*, a *Capenatibus*, a *Faliscis*, et plurimis aliis *Oscis*. Quibus testimoniis auctoritas accedit multarum Inscriptionum, quas collegerunt et protulerunt Reinesius, Fabrettus, aliique.

Hanc autem *Proserpinam* et *Feroniam* fuisse Typum classicum et fundamentalem *Panthei Dodonaei* ita publicis etiam Fabulis et popularibus notum, ut in ipsa *Molosside* et Thesprotide Regione Sedes et Thronus Dei Tartarici, et Deae poneretur, et ibi ab *Aidonaeo* post raptum servatam et custoditam uxorem *Proserpinam* plurimi tenerent et crederent; unde factum ut plures docti viri inter veteres Plutarchus in Theseo I. pag. 15. S. Cyrillus Alex. in *Iulian*. I. p. 11. Eusebius in *Chronic*. hanc rem haberent quasi historice gestam, et historice totam explicarint.

Et ita porro per alia Elementa horum Pantheonum, quae possunt adhuc colligi et comparari, ut magis semper magisque constet vetustissimis temporibus *Pelasgos Dodonaeos* et *Oscos* nostros ad unam prorsus eamdemque Gentem spectasse. Quod, ut clarius pateat naturam et originem celeberrimi nostri *Tauri Androprosopi* liceat peculiari aliqua cura modo quaerere et definire.

SECTIO V.

TAURUS ANDROPROSOPUS ITALORUM ATQUE AETOLORUM HABENDUS EST TYPUS CLASSICUS ET FUNDAMENTALIS PANTHEI DODONAEI, ET ITALICI.

I. *Taurus Androprosopus Italorum atque Aetolorum non potest haberi nudum Symbolum fertilitatis atque ubertatis agrorum, ut plures autumarunt.*

1. Primo, quia *Typi Symbolici* puri et nudi, sunt nudi et simplices, non agunt, non patiuntur,

non habent mythos et fabulas sacras, et si vis historias et narrationes; ut habet *Typus* hic *Andropropsopus*, de quo agimus: qui adeo dicendus est *Mythicus*, non nude *Symbolicus*.

2. Secundo, quia Gentes vetustae prorsus ignorarunt *Typos Symbolicos* nudos et simplices, et semper adhibuerunt *Mythicos*. Romani primi sunt et sero, qui carentes Systemate *Mythico* patrio et proprio adhibuerunt quandoque Typos Symbolicos, puta, *Pietatis*, *Aeternitatis*, *Fidei*, *Concordiae*.

3. Tertio, quia hoc *Hieroemblema* caret omni symbolo et schemate proprio ad significandam et indicandam *Fertilitatem*; adeo ut tenendum contra sit, *Typum* hunc adhiberi non potuisse, nisi ad impetrandam, obtinendam, sperandam Fertilitatem: ut signa *Cereris*, *Proserpinae*, *Bacchi* adposita fuerunt, non quia ea loca essent iam fertilia, sed ut essent et fierent fertilia, ut essent magis, ut essent diutissime, quia *Ceres*, *Proserpina*, *Bacchus*, non Symbola nuda et vacua Fertilitatis agrorum: Sed quod ipsi haberentur Dii magni datores, effectores, productores omnis abundantiae fructiferae; ut propterea et omnino habendus est *Taurus* iste *Andropropsopus* Italorum atque Aetolorum.

II. *Taurus Andropropsopus Italorum atque Aetolorum non potest haberi Symbolum nudum Fluviorum Enchoriorum, quod alii plures tenere maluerunt.*

1. Primo, quia *Taurus Andropropsopus* in plerisque Nummis, quos novimus, non habet *Symbola* et schemata ad *Aquas* et *Flumina* spectantia, quae nempe sive *Ideographice* sive *Lexeographice aquas* significent. Sed habet contra *Lyram*, *Stellam*, *Coronam* lauream, *Victoriam*, quae *Fluminibus* prorsus incongrua sunt et absurda.

2. Secundo, quia pleraeque Urbes *Oscae*, quae cuderunt Nummos cum hoc *Hierogrammate* ad *Flu-*

mina clara et insignia non sunt conditae: Nec aliunde notum *Flumina* Italica sub Simulacro *Tauri Androprosopi* umquam exsculpta.

3. Tertio, quia si *Taurus Androprosopus* fuisset Typus Enchorii *Fluminis* numquam in omnibus Italicis Nummis simillima imagine fuisset effictus: Sed quaequae Civitas suo et proprio modo exhibuisset et repraesentasset: quod factum revera est, quoad plura *Flumina enchoria*.

4. Quin alia adhuc sunt, quae hanc opinionem evertant iam occupata ab Eckelio in *Doctrin. Nummor. veter.* I. pag. 132. 133. 134. Avellinio in *Opusc.* III. pag. 310. 311. etc. aliisque.

5. Nec obiicias ipsos nos paulo post *Taurum Androprosopum* facere *Acheloum*. Nam longe aliud est *Acheloum Cosmogonicum* significari Symbolis tum *Tauri Androprosopi*, tum *Aquarum* et *Fluminis*: Alind *Taurum Androprosopum* esse Symbolum *Fluminis* Enchorii. Osiridis Aegyptii Symbola fuerunt *Sol* et *Nilus*. Quis autem nisi fatue dixerit *Solem* Symbolum *Nili*, vel *Nilum Solis*?

III. *Taurus Androprosopus Italorum atque Aetolorum haberi non potest Mythice et Hierographice Bacchus Graecorum, neque Eleusinius, neque Semeleius, neque Zagreus.*

1. *Taurum Androprosopum* habendum esse ipsum *Bacchum* Bassareum, ipsum *Dionysium* Graecorum primus, ut puto, coniecit Iul. Caesar Capaccius in *Hist. Neapolit.* libr. I. cap. 14. hinc ut opinionem probabilem habuit Matthaeus Aegyptius ad *Senatus Consult. de Bacchan.* pag. 3. hinc Martorellius de *Reg. Thec.* pag. 673. et Auctor *Coloniar. Phoenic.* pag. 226. in *Tauro* hoc *Hebonem* Deum Campanum, in *Hebone Bacchum* viderunt, quam opinionem exornare, illustrare, firmare adlaborarunt Eckelius de *Doctr. Nummor. veter.* I. pag. 136. 139. Lanzius de *Vasi antichi dipinti.* pag. 171. 172.

Creuzerus et Guigniautus *Des Réligions. de l' Antiquité* libr. VII. sive Tom. III. Part. I. et Avellinius *Opusc.* I. pag. 80. ad 153. Tom. II. p. 139. 275. Tom. III. pag. 167. 168. 311. 312. etc. Sed omnes labore tum confuso et indistincto, tum irrito et vano. Nam in hac Disquisitione in eo primum horum omnium diligentia desiderata est, quod non declaraverint et definierint cui *Baccho* hoc *Hieroemblema* ipsi adsignarint, quum tres *Bacchi*, ut ut una ponatur Persona, sint distinguendi tempore, parentibus, factis, symbolis, schematibus, festis, criteriis, characteribus, universa hierographia, mutuo diversi, etsi unus et idem *Bacchus* Theologice et Personaliter sit habendus, adeo ut *Mythice* et *Hierographice* alius sit *Bacchus Zagreus*, alius *Semeleius*, alius *Eleusinius*. Quin nec nos monuerunt et docuerunt hi literati viri an hoc *Hierogramma Bacchum* spectarit *Theologice* et *Syncretistice* an prorsus *Mythice* et *Hierographice*; quae relationes sunt invicem plane diversae, ut modo dicebamus. Nam si ex. gr. affirmo tibi *Isidem* Aegyptiam haberi posse *Venerem genitalem* et genitricem Graecorum et Romanorum, facile concedes. At si dixerim *Isidem* hanc *Aegyptiam* esse etiam Mythice et Hierographice *Venerem Graecam* vel Romanam, ineptiam rideres; quum Mythi, Fabulae, formae, symbola, ornamenta, schemata *Isidis* et *Veneris* sint penitus alia et diversa. Eodem modo si tu *Osiridem Aegyptium* facis ipsum ac *Bacchum Zagreum*; Si Theologice et Syncretistice loqueris, affirmo et probo: Si Mythice et Hierographice, rideo. Ita modo aio gravissime eos errare, qui *Taurum Androprosopum Mythice* et *Hierographice Bacchum Graecum* habent et faciunt. Nam nulla testimonia Mythologorum, nullae auctoritates Poetarum, nulla Documenta et Monumenta Hierographica possunt proferri, quibus id demonstretur. Hierogramma *Tauri Androprosopi* non spectat ad

Hierographiam Bacchi, non pertinet ad *Pantheum Dionysi Hellenici*. Et si Eckelius et Lanzius protulerunt Gemmas quasdam Florentinas, in quibus conspicitur *Taurus Androprosopus* fluvium vel fretum tranans, dorso gestans Puellam seminudam; vel est plane falsum Mulierem esse Baccham, et Thyrsum gestare, ut plures oculati testes in Lanzium ipsi mihi affirmarunt; Vel est absurdum tenere meretriculam furentem gestari dorso *Dei magni*: Vel iste *Taurus Androprosopus* est unus ex illis *Tauris* minoribus *androprosopis*, quos *Bacchum* fabulabantur comitari in Bello Indico, et quos Nonnus describit libr. XXI. v. 212. 213. etc. et nos explicavimus in *Tentamin. Hermeneut. Generali* pag. 62. 63. Ex quo Nonni loco summum adiumentum opinioni suae, et apertam confirmationem quomodo tenere et praedicare potuerit Avellinius capere animo non potui. V. *Opusc.* I. p. 86. 89. III. pag. 310. Nam prorsus clare et evidenter Dionysus Semeleius, Vinifer, Indicus, discernitur et distinguitur ab Agmine *Taurorum Androprosoporum*, qui sunt αθυρματα δηιοτητος, et quorum naturam iam ab anno 1830 nos explicavimus *Oper. cit.* pag. 62. 65.; et fassus est tandem ipsemet Avellinius *Opusc.* II. pag. 146. Denique falsum est Macrobium in insigni loco *Saturn.* I. cap. 18. pag. 244. *Bacchum* senili specie effictum atque a Graecis appellatum *Bassarea* et *Brisea*, et in Campania *Hebonem* facere ipsum hunc *Taurum Androprosopum*; Nam ut Ignarra Op. cit. p. 234. 235. verissime animadvertebat nisi *Bacchum* Macrobii *Circaea virga* percutis semper erit senex, homo totus, et plene homo, singulis humanis membris praeditus: Et nos ignoramus quomodo Avellinius istam Capaccii opinionem tenere adhuc potuerit *Opusc.* II. p. 144. 145. et 156. haud animadvertens cognomina *Bacchi Bassarei*, et *Brisei* spectare ad *Bacchum Semeleium* et *Viniferum*, qui semper homo, totus

homo, non *Taurus*, non *Semibos* vel expressus est, vel exprimi potuit in quacumque Hierographia.

IV. *Taurus Androprosopus Italorum habendus est Achelous Dodonaeus.*

1. Primo, quia idem *Taurus Androprosopus* conspicitur in Nummis Ambraciae, Oeniadum, et Acarnanum sive Aetolorum *Dodonaeorum*, quos indicant vel proferunt Pellerinius, Eckelius, Rasche, Ignarra, Sestinus, etc.

2. Secundo, quia *Achelous* Mythicus et *Dodonaeus* cum Hercule luctans et pugnans hac ipsa forma in Hierographicis Monumentis evidenter expressus fuit. Vide ipsum Avellinium in *Opusc.* II. pag. 147. 148. 149. Ignarram de *Bathys. agone.* p. 239. 240. etc. qui rectissime omnes Nummos, quibus expressum novit *Taurum Androprosopum* appellandos esse *Acheloios* sensit. Quin addo hoc *Acheloi* hierogramma exhiberi etiam in aeneo Monumento *Musei Florentini* etsi abrupto et fracto, quod supine descripsit Zannonius in *Real Galler. di Fir.* I. num. XXV. pag. 66. Nam Guttur *Tauri Androprosopi* non Mulieris bacchantis, sed Herculeo brachio constringi et effringi plane certo tenendum est.

3. Tertio, quia examinatis lexeoschematice Symbolis quibus efficitur vel exornatur *Taurus Androprosopus*, exprimi eis et significari *Acheloum Sirenum* iam ab ann. 1830 demonstravimus in *Tentam. Hermeneut. generali* pag. 60. 61. 62.

V. *Achelous Taurus Androprosopus non est proprie et primario Fluvius Acarnaniae notus, sed Typus maximus et Cosmogonicus Panthei Dodonaei.*

1. Plerique veteres Cosmogonistae hanc Rerum Universitatem, et adspectabilem Mundum non ex bruto et inanimi *Chao* educebant; Sed ex divinis *Seminibus* a Deo inditis primum ingenitum et constitutum sunt rati. Quae divina *Semina* et aeterna Σπέρματα,

Chao indita appellarunt *Semen Dei*, *Phallum Dei*, *Taurum Dei*, *Deum secundum* Spermatophorum, et Seminiferum, ex quo omnia bona procederent et effluerent. Quumque necessarium esset eum *Hieroglyphice* exprimere, per Symbola potissimum *Aquarum* et *Fluviorum*, *Phalli*, et *Tauri* repraesentarunt. Nam *Aquam* veteres Physici non brutam et *hylicam* sed foecundantem et *genitalem* putabant, unde illae *Orphei* et *Thaletis Aquae* potissimum *Cosmogonicae*. *Taurum* autem ideo Symbolum *Dei Spermatophori* adoptarunt, quia in Lingua sacra et primitiva פר PHR הפר EPHR, *Taurus Vitulus* diceretur, et פרה PHRE esset *foecundare*, *fructificare*, *gignere* crescere, et פיר PHIR *fructus*, *proventus*, fructuum ubertas.

Per haec autem Divina *Semina* Chao indita, per hunc *Taurum Cosmogonicum* aeternum abundantiae fontem incoeptam et explicatam Mundi huius Genesim et Cosmogoniam, haud vero penitus absolutam et perfectam Sapientiores veterum arbitrabantur. Sed praeter foecundationem horum *Seminum* ab Amore sive Venere Archaeotata peractam, praeter Chaoticam incubationem Dei Genesiurgi, de qua non pauca disseruimus in *Pantheo Etrusco* pag. 52-64. 121–128. *Naturae* per *Taurum* explicatae accessisse affirmabant *Deum Demiurgum*, Artificem, opificem, et extremam manum magno operi artificio, et Demiurgia sua adiecisse. Quod opus et artificium Demiurgicum, quia super elementa in *Chao* genita et iam concreta exerceri necesse fuit, adeoque super ipso, qui diceretur *Phallus Dei*, et *Taurus Dei*: hinc illae tristes et Tragicae Scenae Cosmogonicae de *Tauro protogono* sive victo et prostrato, sive oppresso et necato, sive etiam lacerato et disiecto; de quo σπαραγμῷ saepe et profunde ipsi Neoplatonici disseruerunt.

3. In *Cosmogonia* autem *Panthei Dodonaei* vetustissimi Deus *Seminifer* et Spermatophorus dictus

est *Achelous*, qui ideo sub *Aquarum* et *Tauri* Symbolis expressus et cultus fuit. Nam omnis *Aqua* stilo Theologico, nempe *Cosmogonica* et primitiva, dicta *Achelous*, ut Servius ex veteribus traditionibus ad Georg. I. v. 9. docte adnotabat; *Acheloum ..... omnem aquam Veteres vocabant*: Immo antiquus Historicus Ephorus Cumanus loco, quem servavit Macrobius Saturn. V. cap. 18. pag. 429. testatur ὕδωρ ὅλον dici Αχελωον: et potissimum in Caeremoniis sacratissimis: μαλιϛα γαρ το ὑδωρ Αχελωον προσαγορευομεν εν τοις ορκοις, και εν ταις ευχαις, και εν ταις θυσιαις, απερ παντα περι τους θεους: quod argumentum manifestum *Acheloum* habitum ex maximis et fundamentalibus Diis *Panthei Dodonaei*; quod gravissime firmat idem Historicus testatus in praeceptis atque effatis *Oraculi Dodonaei* haberi: Αχελωῳ θυειν. Quamobrem nemo non videt *Acheloum* hunc *Dodonaeum* esse ipsum *Oceanum* Hellenum, non quidem Mythice, sed Theologice: ὥσπερ γενεσις παντεσσι τετυκται: ut canit Homerus Iliad. ξ. v. 246. et ex quo sit ipsorum γενεσις Θεων libr. cit. v. 201. 202. quod acute et vere viderat Eustathius in *Iliad*. B. pag. 263. *Edition. Polit.* ὥσπερ και παν ὑδωρ Αχελωος, και Ωκεανος δε κατα τε Ομηρον και τους Ομηριζοντας.

4. *Demiurgus* autem et Creator in *Pantheo* et Cosmogonia *Dodonaea* est *Hercules*, non quidem Hellenicus, non Alcaeus Amphitruonis, sed *Chon*, *Chaon*, Kiun Palaestinorum, Phoenicum, Aegyptiorum, Oscorum etc. *Hercules* nempe *Pataicus*, Hercules *Phtha*, *Epitrapezius*, etc. de quo non pauca insigniora testimonia collegerunt Seldenus, et Beyerus de *Diis Syriae* pag. 272. 273. et pag. 339. 340. et Iablonskius in *Pantheo Aegypt.* Tom. I. pag. 188. 189. Inter quae testimonium servatum ab Athenagora Christiano Apologista pag. 18. et a Damascio περι αρχων inter *Anecd. Wolff.* Tom. III. pag. 254. peculiari attentione et meditatione sunt

digna. Cuius *Herculis Dodonaei* et *Acheloi* insigne Hierodramma exhiberi puto in Nummo *Camarinae* Siculae, quem ediderunt Combe in *Mus. Hunter.* Tab. 68. Nic. Maggiore in *Giornale Sicul.* 1829 pag. 269. 270. Viscontius in *Museo Pio Clement.* Tom. VI. Tab. B. III. v. pag. 70. 71. Inghiramius in *Monum. Etr. Serie* VI. Tav. N. pag. 6. et de quo ipsi nos loquuti sumus in *Tentam. Herm. Generali Praef.* pag. IX. Nam isti Typi *Cosmogonici* et *Demiurgici* possunt variissimo modo exhiberi, et Camarina Sicula habenda est ex praestantissimis Coloniis *Ephyraeis* sive *Epiroticis* et *Dodonaeis*.

5. In Mythica autem lucta *Herculis* et *Acheloi* solerter Graeci complementum *Cosmogoniae Dodoneae* expresserunt. Nam *Taurus* ille est *Polymorphus*, ut Polymorphi omnes Typi Protogoni in omnibus *Cosmogoniis* Veterum; et quamvis *Naturam Rerum* sub *Deianirae* Nomine expressam adhuc vehementer *Taurus* amet, quia per semina sua explicatur, et gignitur, cedere eam tamen cogitur *Demiurgo*, ut artificio divino, quod ipsi deest perficiat et absolvat, dato tamen *Abundantiae* aeternae *Cornu* nempe seminibus omnibus ad communem utilitatem prolatis, et Nymphis *Acheloidis* traditis.

6. Quin si *Acheloo Dodonaeo* datae *Sirenes* filiae, et his data exquisita peritia Musices, ut ipsi nos vidimus in *Tentam. Herm. Generali* pag. 60. 61. et filiae istae *Acheloi* datae Comites et sociae initio rerum *Proserpinae Archaeogonae*: factum quia huius Mundialis machinae generatio absque exquisitissima singularum partium *harmonia* haberi non potuit, nec fieri potuit, quin fundamentales λογοι σπερματικοι *Tauri genitoris* non fuerint positi in certis quasi Musicis proportionibus, et temperamentis, ut iamdiu Orphici, Pythagorici, Confucistae, et plerique alii veterum Philosophorum profunda persuasione sunt arbitrati. Hinc Nymphae genitales, ipsae *Naturae*

plasticae recentiorum Generationi animalium praefectae, ex quibus vetustissimae dictae *Sirenes Acheloides*, et *Proserpinae* maximo Typo *Psychico*, ut animadvertimus in *Pantheo Etrusco*, datae sociae, quod scilicet per *Semina* et elementa *Patris* sui *Acheloi* corporibus humanis genitis ipsae suavi voce sua *Psychas* et Animas vagas adhuc, incertas, et liberas ad ista *Corpora* informanda pellicerent attraherent et adligarent.

VI. *Taurus Androprosopus, si minus Mythice et Hierographice, Theologice tamen et Syncretistice potest haberi Bacchus, non quidem Semeleius, nec Eleusinius, sed Zagreus et Sabazius.*

Nam quum eadem Dogmata *Cosmogonica*, eosdem Typos divinos, eadem elementa Proto-Historiae Mundi vario ingenio, diversa sollertia, per alia *Symbola* et Fabulas Collegia Sacerdotum Idioethnica expresserint; hinc factum, quod ex una parte, ut dicebamus paulo supra, Typi isti divini heterotechni non sint mutuo confundendi, quia Symbolis et mythis diversis constant: At ex alia parte et praestat et iuvat hos ipsos *Typos* Theologice et Syncretistice conferre et comparare, ut eorum natura satius noscatur, et *unitas* Dogmatum primitivorum luculentius appareat, et demonstretur. Atqui *Bacchus Zagreus* Panthei Phrygii, adoptati ab Hellenibus est *Taurus*, et *Taurus Polymorphus*, *Taurus* universi humoris radix, *Taurus* omnis fertilitatis auctor, *Taurus* ex cuius laceratione et σπαραγμῳ *Semina* omnia elementaria educta et animantia orta; *Taurus* ad summam *Cosmogonicus* et *Geogonicus*, ut ex innumeris testimoniis Veterum constat, praecipue Nonni in *Dionysiacis*, Procli *Comment.* in *Timaeum* etc. etc. Et propterea *Taurus*, qui comparari potest cum *Androprosopo Oscorum* et Acarnanum, et haberi idem ac *Achelous* in *Pantheo Dodonaeo*: Eodem modo quo in *Pantheo Aegyptio Osiris* est

Taurus Cosmogonicus, in Indico *Siva* dictus *Iscioreta*, et qui adeo Theologice et Syncretistice sunt etiam *Achelous Panthei Dodonaei.*

VII. *Taurus Androprosopus Italorum et Aetolorum satius haberi potest Taurus Abudad et Gao-mard Persarum veterum.*

Nam *Taurus* iste ABUDAD per Etyma Persica est DAD dator *Promus* ABU Ab *aquarum*, ut *Achelous*, et per Etyma Semitica est ABU אב AB *Pater* auctor Promus, די DI דא DA *abundantiae*, *copiae*, sufficientiae omnis, quod *Acheloi Cornu* praestat in *Pantheo Dodonaeo.* Ubi autem dicitur *Gao-Mard* est *Gao Taurus Bos*, et *Mard vir homo*: *Taurus humana forma*, *Taurus Androprosopus.* Quem *Taurum* diphyem tum in Monumentis superstitibus Persepolitanis, quae Chardinius, Lebrun, Niebuhrius in *Relat.* suorum *Itinerum* retulerunt atque expresserunt conspicitur, tum in aliis, quae idem Niebuhrius *Oper. cit.* Tom. IV. Tab. XX. protulit. *Taurus* quidem Persicus est *alatus*, quod Symbolum *Tauro Osco* deest, at *Taurus Achelo-ius* etiam alatus canitur a Nonno Dionysiaco Mythologo longe doctissimo, et in ipsis Nummis Aetolicis et Acarnanicis in *Acheloi* capite alas mihi certo deprehendere sum visus; etiamsi ignotum mihi sit an alii deprehenderint ac descripserint. Tum *Achelous* Italicus fere semper in Nummis a *Victoria alata* coronatur. Persae autem etsi a variis atque heterodoxis Magorum Sectis recti, servarunt tamen de *Tauro Cosmogonico* et protogono tum dogmata fundamentalia Theologica, ut ex plurimis fragmentis Avestae Zoroastricae patet, tum Symbola Hierographica, quae Fratres eorum etiam *Circcienses Colchi* servarunt in *Aetolia* atque *Italia.* Quin etsi *Taurus Mithriacus* ex monumentis, quae adhuc ediderunt Thomas Hyde de Relig. *veter. Persar.* Philippus a Turre in *Monum. veter. Antii*, Iosephus Hammerus in *Mi-*

thriacis numquam sit *Androprosopus*, dubitari tamen non potest, quin Persis Mithriacis fuerit Typus Italico *Tauro* et *Dodonaeo* similis. Nam *Spicae* frumenti, quae ex *Cauda* erumpunt, et *Vesper* et *Oriens*, qui adsunt, et *Luna* et *Sol*, agi de Geogonia, et de *Seminum* alimentariorum et animalium explicatione docent, adeoque de *Tauro* agi *Spermatogonico* et *Seminifero*; quem hîc non prosternit Hercules *Dodonaeus*, sed plane transfodit *Demiurgus Mithra*, ut Mundum compleat absolvat et perficiat.

SECTIO VI.

DE REMOTIORIBUS ET VETUSTIORIBUS OSCORUM ITALICORUM ET EPIROTICORUM ORIGINIBUS.

I. *Arcades Dardanios Italicos atque Epiroticos habitasse antea aliquamdiu in Bythinia, Mysia, Troade est certo tenendum.*

Nam *Dardanum* Iovis et Electrae Atlantidis filium post Diluvium Troianam Gentem et *Dardaniam* fundasse Veteres unanimes perhibent. Vid. Servium ad *Aeneid.* II. v. 325. III. v. 165. etc. etc. Et *Dardanium* dici *Ilium*, et *Dardanium Paridem*, et *Dardanios Troes* et Phryges omnes norunt ex Virgilio, Servio, aliisque. *Arcades* autem *Atlantios* ex *Arcade* et *Atlantio Mercurio* genitos indivisos comites, et coniunctissimos socios in ipsa *Troade* et *Phrygia Dardaniorum-Atlantiorum* extitisse nemo poterit dubitare: Tum quia uterque Populus *Atlantius*, tum quia plures Historici et Mythologi veteres ipsum *Dardanum* Ethnoctisten Arcadem faciebant, Gentemque *Dardaniam* ex *Arcadia* educebant: Vid. Servium ad *Aen.* II. v. 325. III. v. 167. Dionysium Halic. libr. I. pag. 49. Tum quia ex pluribus insignibus Mythis constat res *Arcadum*, *Mysorum*, atque *Phrygum* fuisse coniunctissimas: Tum quia *Azaniae* nomen *Arcadicum* characteri-

sticum mansisse diutissime in Regione *Mysiae* et *Phrygiae* notum est. Quamobrem si *Thesproti*, et *Osci Arcades-Dardanii* sunt, ut demonstratum est Sect. IV. habitasse eos utique aliquamdiu in *Troade, Mysia*, *Bithynia* est certo tenendum.

II. *Arcadum et Proto-Pelasgorum Patria prima circa Edessenen, Commagenen, Lycaoniam, et Cataoniam summa probabilitate constitui potest.*

Nam Proto-Patria *Arcadum* potest aequissimo iure collocari in *Arcadia* sive *Achade Nemrodi* Chusitae, et de qua agitur *Geneseos* Cap. X. v. 10. quum haec *Achad Nemrodica* scribatur a LXX. Interpr. Αρχαδ, et Chaldaico stilo haec pronuntiatio sit late recepta. Gravissime ab Interpretibus Biblicis iam a tertio quartove Saeculo Christiano de prima sede Tetrapolis *Nemrodi* est disceptatum. Et si plures ex recentioribus viris eruditis, ut Bochartus in Phaleg. pag. 238. Hyde ad *Itiner. Mundi Perist.* pag. 65. 66. Angli auct. Hist. universal. *edit. Neapolit.* I. 5. pag. 918. 919. circa ipsam Babyloniam et Euphratem in Persicum Sinum labentem collocant; plures alii etiam ex vetustioribus ut Ionathan Targumista, et Targumista Hierosolymitanus, et S. Ephrem Syrus *Comm. Genes.* apud Assemannum in *Biblioth. Orient.* I. pag. 26 et 27. Abul-Pharagius in *Dynastiis* pag. 18. circa *Edessenen* posuerunt. Utrique mea sententia recte si illi de prorsus prima et originali fundatione, hi de primis et vetustissimis Coloniis intelligantur. Ita ut *Nemrodi Arcadiam* colonialem circa *Edessam* et *Nisibin* positam tenere possimus. Et quoniam *Commagene* sive *Combagene* et mea sententia *Campagene*, Cataonia sive *Chaonia*, et *Lycaonia* manifestas homiophonias *Arcadicas* servant, iure possumus vetustius genus *Pelasgorum Arcadicorum* his in regionibus collocare, et adeo his in Regionibus Proto-Patriam *Oscorum* Italicorum, Oenotriorum, et Peucetiorum constituere.

III. *Ausones Aurunci Colchi Circeienses Hyperaei sive Hesperii in Sophene et Syria Orontaea sunt primum statuendi.*

Nam in *Sophene* et Syra *Chalcidene* est invenienda *Proto-Colchis*: Haec prima Patria *Circes* et *Medeae* habenda non Regio posita ultra *Phasim* fabulosum et fictum a mercatoribus Milesiis. Nec Argonautae illi celebres ultra fluvios *Araxem*, et *Cyrum* sunt quaerendi: Imo *Ephyra* illa Veterum celeberrima et genus *Solare*, et *Hyperionium*, et *Hesperii*, qui *Hyperaei* et *Ephyraei* sunt circa *Beroen Syrorum*, quae nunc *Aleppo* dicitur, et de qua Nonnus Dionysiacus plura tradidit, haudquaquam in *Iberia Caspia*, quaerendi et collocandi. Nec pertinacissima illa *Oscorum* Italicorum adfectatio *Asterolatriae*, quam in omnibus fere suis Nummis servarunt aliunde potuit oriri nisi ex *Syria* Orontaea, ubi et Pantheum et Genealogiae *Solares* et *Lunares*, et uteumque *Asteromorphae* semper viguerunt.

IV. *Proto-Patria Dardaniorum circa Gordiaeos montes, et fontes Euphratis et Tigris est collocanda.*

Nam omnes *Phryges* atque adeo *Dardanios* ex Armenia, qua regione *Noachicam Arcam* post Diluvium quievisse omnes doctiores et eruditiores literati viri iustissime tenent, processisse ex plena et prorsus mira homionymia Chorographica Regionum est plane tenendum. Hanc comparationem institui hîc omnino vetat ratio operis nostri: Sed eam proprio marte nisi iam per studia sua confecerit cupidus Lector facile conficiet: et hinc capiet, quomodo doctissima *Pseudo-Sibylla Arcam* ipsam *Noachicam*, et secundam sedem principem Generis humani in *Phrygia* potuerit collocare: et quî Apuleius et alii *Phryges Primigenios* potuerint appellare. Quin si verum est quod plures Viri longe doctissimi summo iure tenent omnia *Diluvia* Mythica esse unum et idem *Noachicum* factum Mythice idioethnicum et idioencho-

rium, palam est *Dardanum* Atlantium habendum Typum Mythice deformatum Sancti Patris *Noachi*, et dictum *Samothracium*, quia in *Gordiaeis* montibus, in quibus αποβατηρια ex Arca facta, fuit etiam semper locus Syris celeberrimus dictus שמן-דרך, SMN--DRK, *Samen-Draki*; corrupte *Samothracius*, sive *egressio των octo*, sive Primorum Noachidum. Quamobrem omni iure primas Sedes *Dardani Samothracii* Proto-Itali circa *Gordiaeos* montes collocabimus.

V. *Atlantiorum Oscorum Proto-Patria circa Batanaeam et Syriam Arabicam est statuenda.*

Nam dati Populi illa Regio habenda et dicenda est vera *Patria* et *Proto-Patria*, ex qua omnes eius Coloniae facile potuerunt duci, omnes relationes politicae facile potuerunt haberi, ex qua clare et manifesto vires omnes *Gentis* quasi ex centro et foco sese potuerunt explicare, propagare, diffundere. Atqui data intima societate, intimo nexu *Atlantiorum* cum *Arcadibus*, cum *Phrygibus*, cum *Dardaniis*, cum Hellenibus, cum Phoeniciis, Aethiopibus, Aegyptiis, Libycis, Mauris, qui nexus, tum ex traditionibus Mythicis, tum Historicis est plane certus et demonstratus: palam est centrum Gentis et civilitatis *Atlanticae* nonnisi in *Batanaea* ,et *Syria* Arabica posse constitui. Nam ubi hac in Regione *Atlantii* collocantur, tum facilis et expedita via *Colonis*, ut per Commagenen, Cappadociam, Phrygiam procedant in Occidentem, et in *Italia* tandem *Osca* quiescant: Aeque facilis atque expedita via, ut deflectentes per Syriam, Phoeniciam, Palaestinam inferiorem, transeant in Aegyptum, quae etiam *Atlantica* dicta est, et inde *Africam* et extremam *Mauritaniam* occupent. Proto-Patria ergo *Atlantis Itali* haud remotissime a Sede *Promethei Caucasei*, qui *Caucasus* est ipse *Taurus Assyrus* atque *Armenus*, collocanda. Quae sententia eo etiam ex capite probatur, quod

tenendum *Atlantios* istos fuisse *Abrahamidas*, et factos partim ex filiis *Keturae*, partim ex filiis *Ismaelis Cadmonaeis*, partim ex filiis *Esau*, et partim ex vetustioribus *Nachoridis*, quos omnes circa haec eadem loca consedisse certissimis argumentis potest demonstrari.

SECTIO VII.

DE FUNDAMENTALIBUS CHARACTERIBUS GRAMMATICIS LINGUAE OSCAE.

I. *Lingua Osca a Gentis constitutione ad finem usque fixa, constans, immota, eademque fundo et formâ habenda est.*

1. Primo, quia Lingua Patria, recepta, solemnis non potest penitus vel gravissime immutari, nisi ob mores atque instituta vetera patria recepta penitus vel gravissime immutata. Atqui mores atque instituta *Oscorum* fixa et immota usque ad Gentis consummationem omnia testimonia et monumenta testantur. Nec alia de caussa potuerunt Romani tam pertinaciter atque atrociter laborare, ut *Samnites* funditus et a radice delerent et extinguerent. Vid. pag. 5. 6.

2. Secundo, quia Linguae novae, antea ignotae, et quae dici possint patriae et propriae haberi non possunt nisi per violentos et diuturnos motus Politicos, nisi per gravissimas Reipublicae mutationes, per diuturnas curas et labores ingentis numeri Sacerdotum, Ascetarum, Liturgistarum, Theologorum, Mythologorum, Hierographorum, Poetarum, etc. ut iam indicavimus in *Tentam. Glossosophic*: qui Ascetae Theologi Liturgistae, Mythologi, et Hierographi per Collegia coniuncti et collecti nulli prorsus penes *Oscos* nostros extiterunt.

3. Tertio, quia Lingua externa et allophyla, prae patria et vetere, ubi Cives *Samnites* sunt, *Marsi* sunt, *Lucani* sunt, numquam recipitur et adoptatur, nisi Gente fere penitus deleta et novo Im-

perio constituto. Atqui universi *Osci* nullum externum imperium nisi Romanorum sunt passi, et plane sero. Nam ipsi *Etruscos* oppresserunt brevi, et *Graecos* non imitari, sed profligare et perdere adlaborarunt, ut iam animadvertimus. Quamobrem, si certum est *Oscorum* Italicorum mores atque instituta pertinacissime immota durasse, utique et immota duravit eorum Lingua: Loquimur nos scilicet de constantia et immobilitate fundamentali, et systematica, non de illis mutationibus, quas in quamcumque Linguam inducunt Clima, tempus, pronuntiatio tribulis, et oscillationes quaedam Civilitatis.

II. *Lingua Osca habenda est una ex vetustissimis Linguis Generis humani.*

Nam *Atlantii*, *Pelasgi-Arcades*, *Ausones-Hyperaei*, et *Dardanii-Samothraces*, ad quae capita, ut iam diximus, origines *Oscorum* sunt referendae, non ex gentili vanitate et superbia tribuli, non ex levibus et temerariis coniecturis; sed ex plena analysi originum omnium veterum Gentium Graecarum, Italicarum, Phrygum, Libycarum, Aegyptiarum, Aethiopicarum habendi et dicendi sunt Populi vetustissimi inter quascumque Tribus et Gentes Generis humani. Obiicies legi apud Mythologos *Ausonem* Ausonum Patrem fuisse filium *Ulyssis*, et *Circes*, qui ad recentissima Troica tempora reiiciuntur.

Respondeo primum: constare contra ex pluribus veteribus Historicis, quos indicarunt Theodorus Ryequius De *prim. Ital. Colon.* et Iohan. Schefferus et Iacobus Perizonius ad cap. 16. libri IX. *var. Hist. Aeliani*: hos *Ausones* fuisse Proto-Italos, primitivos Incolas terrae nostrae, etiam ante ipsos *Oenotrios* et *Peucetios*, quos advenisse in Italiam decimaseptima aetate ante Troiana tempora tradit Dionysius Halicarn. libr. I. pag. 9. – Secundo loco aio: Si *Ulysses* et *Circe* habentur, ut puri homines, tum traditio ista Mythica nihili est, quia *Ulysses* et *Circe* sunt Typi absurdi

et prorsus falsi: Quod si divinae naturae ponuntur, ut revera eos habuerunt *Osci* nostri, quod de Ulysse superius adnotavimus, tum animadvertendum est *Deos* esse cum *Chao*, et cum primis Mundi originibus, et adeo *Ulysses* et *Circe* cum quacumque Oscorum vetustate recte constabunt.

III. *Oscorum Italicorum Lingua habenda est indeclinata et pavromorpha.*

1. Primo, quia attente consideratis, et diligenter excussis vocabulis *Oscis* nulla forma declinationum, inflexionum, terminationum, quibus casus, tempora, personae, modi significentur et determinentur potest in eis deprehendi: Neque ex pluribus *Oscarum* Inscriptionum Interpretibus inventus unus, qui Paradigma *Oscae* declinationis debita analysi demonstratum posuisset. Quod si quandoque legimus TANCINU, et TANCINUD, in confesso est penes omnes D esse elementum otiosum et paragogicum. Et si in Oscorum nummis legimus CAIATINO, CALENO, SUESANO, PAISTANO, AISERNINO; et AISERNIO, et AISERNINOM: Quorum vocabulorum Radices sunt dubio procul CAIATI, CALE, SUESA, PAIST, AISER, etc. haud statim aliquam declinationum formam Latinae Graecaeve similem in his similibusque vocabulis fingere animo debemus. Nam saepissime voces Linguarum veterum componuntur, non declinantur. Et hae voces Oscae naturam casuum minime produnt, vel indicant. Quod ipsemet Avellinius in *Opusc.* Tom. II. pag. 157.–164. data opera de natura harum vocum inquirens pag. 161. fatetur: scilicet: CALE, et CALENO: NUCERIA, et NUCERINUM idem prorsus valere, et ideo eodem casu sumenda. Adeoque si vehementer laudandus est Eckelius, qui etiam ex proposito de his *Oscis* vocibus agens de *Doctrina Numm.* I. pag. 24. 25. etc. naturam earum ex natura et characteribus Linguae *Oscae*, non aliarum esse quaerendam dixit: haud probandus Lanzius,

qui in *Saggio* Tom. I. pag. 314. 315. putabat voces CALENO, SUESANO, PAISTANO factas suppressa vel neglecta litera S, aut M: habendasque, ut *Calenus*, vel *Calenum*, *Suessanus*, vel *Suessanum*: Nec Avellinius, qui eamdem opinionem habuit, nullâ Lanzii memoriâ iniectâ: Nam ponere et tenere quod *Osci* isti supplerent voces *Populus*, *Municipium*, *Oppidum* temeraria est hypothesis. Tum quid obsecro Osci supplebant, quum scribebant CALE, SUESA, PAIST, etc? Nec Avellinium iuvat exemplum Romanorum, qui vetere sua aetate scripserunt: *Oino*, *viro*, *optumo*, etc. pro *unum*, *virum*, *optimum*, etc. Nam tum Latina lingua erat adhuc ex parte aclisiaca et indeclinata, ut *Osca*. At Romana vocabula *oino*, *viro*, *optumo*, sunt Radices, per quas nemo umquam capiet, cur Oscus scripserit CALE, et CALENO, SUESA, et SUESANO, PAIST, et PAISTANO. At si vox NO non est declinata et *casuistica*, omnino erit illa ipsa NO Aegyptiorum in NO-AMMON, vel AMON-NO, de qua Prophetae Hebraeorum Ieremias cap. XLVI. v. 25. Ezechiel. Cap. XXX. v. 15. Nahum cap. III. v. 89. loquuntur. Erit NA, NEI, NI omnium Etruscorum, ut in *Tentam. Etrusco* pag. 112. 118. iam adnotavimus. Nempe *Gens*, *Populus*, *Sedes*, Civitas, locus, נוה, NUE, NOE, NO. Et CALENOM, PAISTANOM erit OM, עם, OM *Populus*, *Gens*: NO, נוה, NUE, *habitans* manens in CALE. Erit עם, OM, *Populus*, NO, נוה NUE *habitans* in PAIST etc. Nollem tamen Avellinium praeteriri illaudatum, quod veterem Romanorum *Aclisiacismum* recte animadverterit, et adnotaverit. Imo velim, ut hoc argumentum tum ipsemet, tum alii plures plenius et uberius tractent, et exornent, ut de linguis Patrum nostrorum rectius sentiant, et earum fragmenta explicare satius possint.

2. Secundo quia nulla fuit Oscis Bibliotheca Popularis et communis, nulli Libri solemnes publici Osce scripti, nulla Poemata Osca, nullae Historiae

Osce exaratae. Quum contra plures et praestantes Viri ex Oscis ipsis fuerint, qui Latine et plura scripserint, ut Ennius, Plautus, Lucilius, Horatius, Cicero, Ovidius, Velleius, Iuvenalis, etc. Atqui defectus iste absolutus Bibliothecae patriae, et Gentilis literaturae data sufficienti Civilitate Gentis, dato intimo commercio Gentium literatarum, datis etiam Alphabetis, sive conditis, sive adoptatis et receptis, Amorphismum *Linguae Oscae* non indicat tantum, sed plane necessario et invicte demonstrat. Ubi *Linguae* informes sunt vel plane *Pavromorphae*, ubi ex Radicibus nudis, ambiguis, polydynamicis, aoristis factae sunt, praeter paucissimas et tenues Inscriptiones, praeter breves et tenues Libros liturgicos arcane et secrete a paucis Sacerdotibus servatos, nulli Libri solemnes publici possunt condi et describi, nullae Historiae possunt narrari, quia obscurae ambiguae et inintelligibiles essent: nulla Poemata possunt cani et celebrari. Adeout plane certo tenendum sit *linguam Oscam* fuisse *pavromorpham* et radicalem, indeclinatam et aoristam. Quod si obiicies: *Oscos* nostros res suas expedite semper gessisse, et potentia auctos, et commercio divites factos gessisse bella ingentia, et foedera saepe percussisse, quae haberi non possunt absque *Lingua* copiosa, energica, et satis clara. Ita quidem. Sed meminisse debes summam et incredibilem esse differentiam inter *linguam*, qua mutuo possumus *colloqui*, et praesentes negotia nostra peragere: et *linguam* qua *liber* Genti, et Posteritati remotae destinatus debet describi. Haec Lingua nisi est *eumorpha* et *pleromorpha* inutilem et inintelligibilem faciet *Librum*: At contra *Linguâ* etiam prorsus indeclinatâ et monosyllabica coram et praesentes gravissima negotia possumus peragere et explere. Cuius rei argumenta certa, et invicta habemus in omnibus *linguis* Transgangeticis, in Lingua *Franca* portuum Mediterranei maris, immo etiam Italici,

et qua saepe etiam utuntur Negotiatores Orientales in Urbibus Italicis. Et iure. Nam coram et praesentes habemus innumera alia adiumenta, quibus defectum formarum Grammaticalium possumus supplere, et Sermonem nostrum facere satis clarum et satis perspicuum. Nam adsunt ipsae res, ipsae substantiae praesentes, gestus et habitus totius corporis, tonus, et accentus vocis, repetitio vocabulorum, explicatio, paraphrasis, synonyma. Quae omnia quum non possint in Libros transfundi fit, ut Lingua satis idonea et energica ad disserendum coram, sit in Libris ambiguissima, obscurissima, inintelligibilis. Quamobrem si *Oscis* nostris tribuimus *Linguam*, quoad Lexicum et vocabula, insignem, copiosam, energicam, negamus tamen eam fuisse eumorpham et pleromorpham. Sed contra inter pavromorphas et oligomorphas esse numerandam affirmamus. Vide omnino *Tentam.* nostrum *Hermen. Etruscum* pag. 51. ad 61. et quae de *Linguis* huiusmodi adnotamus in *Fundam. Glossosophicis*.

SECTIO VIII.

INSCRIPTIONES OSCAS PER GRAECAM LINGUAM VERTERE ATQUE EXPLICARE IMPOSSIBILE EST.

I. *Primo, quia Osci atque Hellenes fuerunt Populi heterotropi atque heterodiaeti.*

Ut superius pag. 6. 7. indicatum est. Atqui Populos heterotropos et heterodiaetos esse *homoglossos* impossibile est. Nam singularum Gentium Lexicon fit ex vocabulis morum, institutorum, et artium idioethnicarum: Si haec omnia sunt eadem vel simillima, eadem vel simillima esse poterunt vocabula, quibus significantur: At si alia et diversa sunt, alia et diversa necessario erunt vocabula. Ergo *Osci* atque *Hellenes* fuerunt necessario *heteroglossi*.

II. *Secundo, quia plures Scriptores veteres sive*

directe sive indirecte testati sunt Linguam Hellenum esse ab Osca prorsus diversam.

1. Plato, vel quisquis est vetus et doctus Auctor Epistolarum, quae sub eius nomine feruntur octava ad Dionem pag. 156. haec testatur: Σχεδον εις ερημιαν της Ελληνικης φωνης Σικελια πασα Φοινικων, ἡ Οπικων μεταβαλουσα εις τινα δυναστειαν, και κρατος. *In oblivionem fere Hellenicae Linguae tota Sicilia videtur lapsura, ad Phoenicum, vel Opicorum potestatem et dominationem translata.* Scilicet huic Scriptori Lingua *Opicorum* sive *Oscorum* ita distabat ab *Hellenica*, ut Lingua *Poenorum*, quae penitus ab ea differt.

2. Pompeius Festus in *Bilingues* adnotat *Brutiates* sive *Brutios* appellatos fuisse *bilingues* ab Ennio, quod scilicet vocabulis suis patriis et *Oscis*, vocabula etiam *Graeca* admiscerent. Tum idipsum scriptum fuisse a Satyrographo Lucilio *Osco* adnotat Porphyrion Horatii Flacci pariter *Osci* Scholiastes ad illa: *Canusini more bilinguis* I. Satyr. X. v. 30. quae mixtio absurda linguas fuisse heterogeneas necessario demonstrat.

3. Siculi dicuntur L. Apuleio *Metamorph.* XI. pag. 218. *trilingues* quia scilicet loquerentur *Osce* adhuc, *Graece*, et *Latine*, secundo nempe Saeculo Christiano.

4. Quintum Ennium *Oscum*, virum aetate sua magnum gloriatum fuisse, quod sibi essent *tria Corda*, quia scilicet *Osce*, *Graece*, et *Latine* loqueretur Veteres tradiderunt. Vid. Gellium *Noct. Actic.* XVII. c, 17. p. 785. Atqui nisi Lingua *Osca* gravissime saltem discrepasset a Lingua Hellenica, ridicula et inepta extitisset huiusmodi Ennii Calabri gloriatio.

5. Iuvenalis etiam *Oscus* Satyr. VI. v. 185. 186. canit: » *Nam quid rancidius, quam quod se non putet ulla* » *Formosam, nisi quae de Tusca Graecula facta est,* » *De Sulmonensi mera Cecropis?*

etc. » Atqui *Cecropii* sive *Attici* sunt Graeci *Puristae*, Sulmonenses sunt *Peligni*, sunt *Marsi*, sunt ex *Oscis* praecipui. Iuvenali ergo *Lingua Osca* et *Graeca* diversissimae.

6. Titus Livius vir summus libr. I. cap. 3. pag. 31. refellens testimonium eorum, qui Numam Sabinum Pythagorae Samii Crotone vel alia Graeca Urbe commorantis discipulum faciebant: eo maxime argumento refellit, quod nullum esse potuit *Linguae commercium* inter *Sabinum* et *Graecum*.

7. Plutarchus Ianum Romanum faciens Perrhaebum et Graecum affirmat in *Quaest. Rom.* Op. II. p. 269. quod veniens in Italiam μετεβαλε την γλωσσαν.

8. Diodorus Siculus libr. V. cap. 6. p. 335. agens de Gente Sicula, quae fieret Hellenica distincte etiam affirmat, quod μετεβαλε την γλωσσαν. etc. etc. Ergo, ut dicebamus, *Osci* et *Hellenes* heteroglossi.

III. *Tertio, quia ex Lexico Graeco et Osco superstite non potest colligi aequa series Vocum homiophonarum et evidenter similarium.*

Nam omnes Linguae sorores, ut ipsis fere verbis scribebamus in *Tentam. Etrusco* pag. 80. 84. semper, necessario, et evidenter agnoscuntur ob ingentem numerum *Vocabulorum homiophonorum*, quae statim et facile sentiuntur et colliguntur. In omnibus Linguis Semiticis, in omnibus Romaicis, in omnibus Germanicis, in omnibus Indicis sunt plures centuriae, immo aliqua Chilias Vocum *homiophonarum* evidentium. Adeo ut data certa et necessaria linguarum analogia, si superesse ponantur quadringenta tantum vocabula Linguae *Oscae*, plusquam *centum* claram et evidentem homiophoniam cum Vocabulis Graecis praeseferre deberent, si *Linguae* essent *sorores*. Atqui ne decem quidem *Vocabula Osca* possunt seligi et deprehendi, quae sint *Graecis* vere *homiophona*. Ergo Lingua *Osca* et *Graeca* sunt hete-

rogeneae, heterotechnae, sunt diversae formationis, et originis, et propterea incomparabiles.

IV. *Quarto, quia characteres fundamentales utriusque Linguae sunt diversi et adversi.*

Nam Lingua *Osca* ut vidimus supra pag. 49. 50. est indeclinata, aclisiaca, pavromorpha, *Graeca* contra est Pleroclisiaca, et Pleromorpha. Scilicet sunt Linguae mutuo incomparabiles, ut non semel iam animadvertimus in *Tentam.*. nostro *Etrusco*, quoad similem *Etruscam* Linguam. Tum Lingua *Osca* indeclinata, *Radicalis*, constans, immota est necessario Rizophylax systematice, quidquid clima, civilitas, tempus possint in literarum pronuntiatione immutare. Lingua *Graeca* contra declinata est necessario *Rizophthartica*, et per longe alias leges et Methodos condita et constituta, ut pluribus actum in *Fundam. Glossosophicis*, ubi demonstravimus quod si data sit Lingua 2500. Radicum aclisiaca et pavromorpha, si haec per Methodos Glossotropicas fiat clisiaca, classica, pleromorpha ita fit a priore diversa, ut sint mutuo prorsus incomparabiles et inexplicabiles.

V. *Quinto, quia Vocabula Osca significationis datae non habent caussas et Etyma sua in Lingua Graecorum.*

Paucissima quidem sunt *Vocabula Osca*, quae cum sua potestate et significatione ad nos pervenerint: Sed quotquot sunt, habenda sunt ut *aliquota* et criterium Linguae universae. Interpres, qui ea negligit vel spernit, vehementer fallitur. Nam absque DATIS *quaesita* non sunt. Haec autem *Vocabula Osca* a nobis collecta et prolata Sect. XII. nemo quem sciam per *Linguam Graecorum* expendit atque examinavit: Mihi fuerunt per Linguam huiusmodi intractabilia, scilicet quia *Linguae* essent prorsus heterogeneae.

VI. *Sexto quia ipsae Oscae Inscriptiones sunt per Graecam Linguam intractabiles.*

Nam nulla hactenus fuit *Osca* Inscriptio, quae tota tentata et versa sit, ne absurde quidem et fatue, per *Graecam Linguam*: ob intrinsecam dubio procul et insuperabilem heterophoniam. Quidni enim Interpretes plures, qui accesserunt ad *Oscas Inscriptiones*, per *Graecam* Linguam vertissent si opus possibile visum fuisset?

SECTIO IX.

PER LATINAM LINGUAM OSCAS INSCRIPTIONES VERTERE IMPOSSIBILE EST.

I. *Primo, quia plures Scriptores veteres sive directe sive indirecte testati sunt Oscorum Linguam vel penitus diversam, vel gravissime discrepantem a Latina Lingua extitisse.*

1. Titus Livius Libro X. cap. 20. pag. 261. agens de Bello Samnitico, quod gerebatur anno Urbis 456. distincte memorat missos a Romanis ad hostium castra *gnaros Linguae Oscae:* Scilicet quia Romani essent ignari *Linguae Oscae*: nec per Linguam suam poterant nosse, quae *Samnites* secum colloquerentur. Ergo Lingua *Osca* et *Latina* gravissime saltem mutuo discrepare debuerunt.

2. Q. Ennius ex *Osco* factus *Romanus* gloriabatur Romae, quod servasset hactenus *Cor* sive *linguam* Patrum suorum *Oscorum*. Vid. Gellium Noct. Act. XVII. cap. 17. Ergo Lingua *Romana* et *Osca* gravissime saltem debuerunt mutuo differre.

3. Titinnius vetustus Latinorum Comicus in sua Fabula *Quinto*: apud Festum in *Voce Oscum*: scribebat: *Qui Osce et Volsce fabulantur, quia Latine nesciunt.* Ergo Lingua *Latina* alia ab *Osca* et *Volsca.*

4. L. Apuleius quem superius citavimus appellat Siculos aetatis suae *trilingues*, quia scilicet tribus Linguis uterentur *Osca Graeca* et *Latina*. Ergo *Osca* alia a *Latina*.

5. M.Terentius Varro consensu omnium veterum Romanorum eruditissimus ad Etyma *Osca* rarissime deflectit in libris suis de Latina Lingua: dubio procul quia *Lingua Osca* et *Latina* essent quoad pleraque mutuo incomparabiles. Scio fuisse aliquos viros doctos, qui Varronem quasi ignarum Linguae *Oscae* accusarunt. Sed prorsus calumniose. Nam quum Romani ipsi ex parte *Osci*, et *Osci* universi Varronis aetate facti Romani, et Varro maximus Archaeologus atque Ethnographus, nisi didicisset 300. saltem vel 400. vocabula Patrum suorum, quid, obsecro, didicisset? Maxime quia aetate sua ut adhuc aetate Iuvenalis plurimi et loquebantur et scribebant *Osce*. Si ergo Varro non deduxit a Vocibus *Oscis* plurima vocabula *Latina* factum quia essent Linguae formationis atque ingenii plane diversi.

II. ***Secundo quia Lingua Osca vetusta, fixa, immota, ut demonstratum est supra pag. 47. 48. Latina quam novimus recens, et a vetustiore plurimum discrepans et alia.***

1. Nam, ut iam in *Tentam. Etrusco* animadvertimus, auctoritate Polybii certum est Foedera Romana scripta ineunte saeculo Urbis quinto, ineunte septimo aegre et parum fuisse intellecta. Carmina *Saliaria*, quae dicebantur *Numae Pompilii*, et quae haud vetustiora IV. Saeculo Romano dicenda sunt, Aelius Stilo, Terentius Varro, Horatius Flaccus, Fabius Quintilianus non intelligebant, ut dicemus iterum paulo post: Et tenuissima eorum Fragmenta, quae supersunt, fuerunt hactenus intractabilia: quidquid Scaliger insuperabili audacia sua conatus fuerit. Fragmentum *Arvale* etsi multa peritia a Lanzio tentatum *Saggio* I. pag. 142. 143. plura exhibet falsa, hypothetica, obscura. Innumera fuisse Romanis VII. et VIII. saeculo *verba oblivia*, eiecta, aliis plane *novis* procusis, testatur Varro, et ex Verrio Flacco Festus. Tum testimonia plura, et argumenta

sunt invicta, quibus constat, quod Latina Lingua vetustior fuerit *aclisiaca*, sive *indeclinata*, vel *oligoclisiaca*, et omnino *pavromorpha*: Scilicet gravissime prorsus discrepans a Lingua Ennii, Plauti, qui Latine tandem scripserunt. Atqui Lingua *Osca* vetustissima est fixa, constans, immota quantum humana esse possunt, qui characteres Linguam *Oscam* et *Latinam* recentiorem faciunt plane diversas, et mutuo incomparabiles.

III. *Tertio*, *quia Vocabula Osca et Latina non sunt mutuo homiophona*, *imo pleraque prorsus heterophona.*

Ut potest quisque per se nosse et experiri: Nisi exempla iam producta in Interpretationibus Passerii, Remondinii, Lanzii, Guarinii non videantur esse satis, qui omnes numquam aliquam homiophoniam Latinam inducere, et obtinere potuerunt, nisi diffisso, lacerato, distorto, depravato vocabulo *Osco*. Atqui, ut dicebamus paulo supra pag. 54. impossibile quin *Linguae Sorores* statim non exhibeant centurias Vocum plane et evidenter *homiophonarum*.

IV. *Quarto quia characteres Grammatici et fundamentales utriusque Linguae sunt plane diversi.*

Nam Lingua Latina, quam novimus, et quae superest a VI. Urbis Saeculo, est Rizophthartica, declinata, pleromorpha, classica, et contra Lingua *Osca* est ex *Systemate* Rizophylax, quidquid Clima tempus civilitas super ea, ut saepius dictum, agere potuerit, indeclinata, aorista, pavromorpha, Radicalis, adeout etiamsi concedatur aetate ex. gr. Romuli Linguam *Oscam* et *Latinam* fuisse prorsus unam, prorsus identicam, statim ac diversa forma accessit, statim ac *Glossomorphe* unam modificavit, factae sunt aliae, et non sunt amplius comparabiles, ut modo minime comparabiles mutuo sunt et convertibiles Lingua *Anglica* et *Germanica*, etiam si

Anglica reiiciat universas voces Romaicas, et adsumat Teutonicas. Nam Glossomorphe alia et diversa est, quae ipsum Lexicum diversum necessario ex parte facit.

SECTIO X.

DE FABULIS ATELLANIS SIVE OSCIS ROMAE ACTIS.

I. *Proponitur status Quaestionis.*

Qui hactenus accesserunt ad tentandas et vertendas *Oscas* Inscriptiones per Latinum Sermonem, eo potissimum praeiudicio impulsi fecisse videntur, quod Romani Fabulas Oscas, vel potius *Exodia Atellana* ex vi *Latinae* Linguae caperent, et ex intima adfinitate utriusque Linguae intelligerent. Id professus est Oliverius in *Act. Acad. Corton.* Tom. II. pag. 55. 56. Eckelius de *Doctr. Numm.* I. pag. 119. 120. Lanzius *Saggio* I. p. 32. III. pag. 588. 613. Rosinius in *Dissert. Isagog.* pag. 41. nota. Lupulus ad *Inscript. Corfin.* Edit. 2. 52. 53. Guarinius *Comm.* XI. pag. 41. et *Divinat. in Cippum Abell.* pag. 79. 80. Niebuhrius in *Histoire Romaine* I. *Introduct.* pag. 64. 65. pag. 73. 74. 1828. Schlegelius *Istor. de la Letterat.* Tom. I. p. 109. Quod praeiudicium, quum sit graviter damnosum ob auctoritatem clarorum Virorum, necesse est aliqua peculiari diligentia refelli: Etsi ea quae iam dicta sunt videantur esse plusquam satis: Nam si in ipsa Roma Viri longe doctissimi, omnibus adiumentis instructi, omnibus Documentis et Monumentis praediti C. Aelius Stilo, M. Terentius Varro, Q. Horatius Flaccus, M. Fabius Quintilianus *Carmina Saliaria*, quae Latina et Romana dicerentur non intelligebant: quo pacto nos per Lexicon Linguae eiusdem Varronis, et Horatii, non *Carmina Saliaria*, sed remotissimae linguae *Oscae* fragmenta, quam ipsi Romani aeque doctissimi diversam a Romana affirmabant, explicabimus et vertemus?

II. *Fabulae Atellanae Romae actae, de quibus Scriptores veteres meminerunt, fuerunt Dramata scripta sermone Latino non Osco.*

1. Primo, quia *Fragmenta* omnia *Atellanarum*, quae colligi hactenus potuerunt ex Svetonio, Macrobio, Varrone etc. etc. omnino *Latina* sunt non *Osca*, omnino *Romana* sunt non *Campana*. Nec versiculus ullus *Oscus*, nec hemistichium ullum *Oscum*, nec quatuor Vocabula *Osca* ex his *Exodiis* collecta ad nos pervenerunt.

2. Secundo, quia de Fabulis Atellanis doctus et vetus Grammaticus Diomedes de *Part. Orationis Libr.* III. Edit. Putsch. pag. 487. 488. haec testatur. *Tertia species est Fabularum* LATINARUM, *quae a Civitate Oscorum Atella, in qua primum coeptae Atellanae dictae sunt, argumentis dictisque iocularibus similes Satyricis Graecis.....* LATINA *Atellana a Graeca Satyrica differt*, etc. etc. Scilicet in his Fabulis *Lingua* prorsus, penitus, absolute *Latina*, ingenium et forma interior ludicra, ridicula, Satyrica sumta ab Oscis.

3. Tertio, quia Livius Libr. VII. cap. 2. ipsam primam originem horum Dramatum referens, non *Atellanos* Cives diverbia *Lingua* Osca serentes, non Oscos Iuvenes Lingua patria et Campana ridicula iactantes inducit: Sed *Romanam Iuventutem* imitantem in verborum Scurrilitate *Atellanos*, et *ore Romano* speciem ludicri Dramatis Osci exhibentes distincte inducit.

4. Quarto, quia Velleius Paterculus homo Campanus, et cui Atellana perspectissima libr. II. cap. 6. p. 60. haec scribit. *Sane non ignoramus eadem aetate* (scilicet circa initia septimi Saeculi Romani) *fuisse Pomponium sensibus celebrem, verbis rudem, et novitate inventi a se operis commendabilem.* Scilicet is est *Pomponius* Bononiensis, qui *Diverbia* illa Iuvenum Romanorum brevia, rudia, confusa,

inordinata, in iusti Dramatis formam amplificavit, ordinavit, et condidit. Quamobrem rectissime Campanus homo Velleius Opus hoc non *Oscum* opus, non *Atellanum* opus, sed *Opus* omnino *novum* Lingua nova Romana recentissima conditum appellavit, et suo vero auctori adtribuit.

III. *Etiam si verum esset frequenter acta fuisse Romae Dramata puro sermone Osco, et pura Exodia Atellana: tenere id factum, quod utraque Lingua Latina et Osca fuissent intime adfines falsa et inepta opinio est.*

1. Falsa, inquam, quia adversatur auctoritati et testimoniis certissimis Scriptorum veterum, qui *Oscam* Linguam prorsus diversam a *Latina* faciunt V. pag. 56. *Inepta* vero, quia si in pluribus Gentibus erecta sunt Theatra heteroglossa, quid mirum si fuisset Romae *Theatrum Oscum*? Etiamsi ponatur *Lingua Osca* ita diversa a *Latina*, ut *Punica*, quid mirum si decem millia Romanorum eam calluissent, cum tota fere Italia esset *Osca*, et *Osci* ipsi insignem partem Romanorum efficerent, ut ea de re amare queritur Graecus Dionysius Halic. fine libri I. pag. 74.? Data igitur quacumque diversitate linguarum *Oscae* et *Latinae* Exodia *Osca* Romae acta potuerunt intelligi et comprehendi vel a decem millibus Romanorum, qui adstarent et venissent audituri, quia per mutuum commercium, et per civilia negotia didicissent. Adeoque qui tenet *Linguam Oscam* atque *Latinam* esse intime et prorsus affines, eo quod Romani adstarent, quum agerentur *Exodia Osca*, ita temere et non recte iudicat, ac qui videns Parisiis vel Londini innumeros Gallos, et Anglos adstare Dramati *Italico*, quod agitur, teneat illos Gallos et Anglos Drama *Italicum* capere et intelligere vi linguae suae *Gallicae* et *Anglicae*, non quod *Linguam Italicam* didicissent et nossent per magistros et praeceptores.

IV *Exodia Osca Romae acta non potuerunt esse nisi brevissima, tenuissima, despectissima.*

Nam si fuissent prolixa, insignia, honesta, honorata, et non levia, ludicra, humilia, despecta prorsus impossibile, quin ab ipsis Romanis vel Graecis facta fuisset eorum frequens et distincta memoria. Atqui non Poeta, non Historicus, non Satyricus, nemo prorsus horum Exodiorum *Oscorum* meminit, praeter unum Strabonem Cappadocem, quem dubio procul illa peregrinitas Linguae afficere plurimum debuit. Reliqui vero Graeci, Latinique Scriptores rem plane tenuem, obscuram, humilem, despectam prorsus neglexerunt, vel contemserunt. V. Tacit. Annal. IV. cap. 14. p. 217.

V. *Potuerunt Romae agi Exodia Osca Populo ea nec capiente nec intelligente.*

1. Nam Accius Plautus Poenulum suum *Punice* orantem et clamantem inducit Actu V. v. 800. nemine, ut fingitur, et insigni certe auditorum parte, non intelligente. Quin Milphionem inducit in vocabulis Punicis cavillantem, et ridiculas et falsas homiophonias captantem, ut plenam eius Linguae ignorantiam demonstraret.

2. Svetonius Tranquillus in *Iulio Caesare* Cap. 39. scribit: Caesar *edidit Ludos* (Scenicos) *etiam regionatim, Urbe tota, et quidem per omnium Linguarum Histriones*; Et in *Octaviano Augusto* Cap. 43. *Fecitque Augustus Scenicos Ludos nonnumquam vicatim, ac pluribus Scenis per omnium Linguarum Histriones.* Ut igitur Romani his *Scenis* adfuerunt et adstiterunt nihil capientes et intelligentes; ita prorsus adesse potuerunt et debuerunt *Exodiis Oscis.*

3. Carmina *Saliaria* durabant adhuc aetate Fabii Quintiliani non intellecta, non capta ab iis ipsis, qui ea recitabant: Et non intellecta recitabantur, et canebantur.

4. *Carmina Arvalia* vetera cani adhuc secundo

Saeculo Christiano ex fragmento edito a Caietano Marinio in *Fratelli Arvali* Tom. I. pag. 161. 162. certum est; et ea sive ab omnibus sive a plerisque haud fuisse intellecta aeque certo tenendum est. Nam per Lexicum Ciceronis et Virgilii illud clare et plene vertere impossibile est, ut saepe animadvertimus; Quidquid Lanzius *Saggio* I. pag. 141. 142. conatus fuerit.

VI. *Indicantur caussae, ob quas extincta etiam Gente Osca autonoma Dialectus Osca potuit servari in brevi aliquo Exodio Romae peracto.*

1. *Unitas* et identitas originis primitivae *Latinorum* et *Oscorum*. Nam si falsum est, quod pertinacissime contendit Dionysius Halicarnassensis *Aborigines* et *Latinos* fuisse prorsus *Arcades* et *Oenotrios*; verum tamen est *Aborigines* et *Latinos* ex characteristico suo ingenio sociabili, xenophilo, allophilo, ut iam adnotavimus pag. 5. 6. ex quo in Umbriam appulerunt cum plurimis *Oscis*, *Sabinis*, *Umbris* intime se commiscuisse, et mores plures, et plura vocabula adoptasse dubitari non potest. Adeout et potuerint *Latium* utcumque appellare *Italiam* et *Ausoniam*, et se se *Italos*, et *Ausonios* dicere et nuncupare, et adeo inter *Linguas* Patrum suorum etiam *Oscam* omni iure imo necessario numerare. Adeoque quis mirari potuerit, quod Nepotes et Apogoni Specimen *Linguae* Patrum suorum servaverint et custodierint etsi non intellectae? Atqui etiam modo *Angli* in solemnibus ceremoniis Regum suorum *Formulas* quasdam *Romaicas* et *Normannicas* pronuntiant et retinent, etiam si Lingua eorum solemnis et civilis minime sit *Romaica* et *Normannica*: et fieri etiam possit, ut nemo eorum qui eas formulas audiat capiat et intelligat.

2. *Romani Imperii dignitas et maiestas.*

Nam *Linguae* Symbola *Gentium*, et Populorum, et quoniam *Osci Itali*, Lingua *Osca Theatro* Ro–

mano declamata aequum Symbolum domitae et occupatae *Italiae* esse potuit. Caesar et Augustus, ut modo vidimus, nulla alia ratione et caussa per omnium *Linguarum* Histriones Dramata vel Exodia repraesentare fecerunt, nisi ut argumentum et demonstrationem darent dominationis suae universalis, et totius, si dicere fas est, Generis humani coram se loquentis.

3. *Superstitio.*

Nam si olim et primum *Exodia Atellana* recitata, ut fugaretur *Pestilentia*, et Dii in Romanos irati placarentur. Vid. Livium VII. c. 2. Si *Exodiis Atellanis* recitatis fugata est pestis, et pax Deorum impetrata: Ergo Diis grata *Oscorum Lingua*, ergo *Exodia Campana* hilaritatem et risum Olympicis Diis afferunt. Quis nisi impius, et qui iratos Deos, et Pestilentiam regredientem mallet *Exodia* ista contemneret et proiiceret? Quin si gravissima mala, et calamitates, et pestes per *Vocabula* quaedam *Barbarica*, *heterophona*, *dissona* plurimi Veteres tenuerunt: ut nos pluribus animadvertimus in *Disquisitione* nostra *Abraxea*, si ipse Romanus et severissimus Cato aliquot versiculos servavit *barbarophonos*, ut maxime averruncos et apotropaeos, quidni recitata *Exodia Osca*, ut ab initio in Pestem et mala omnia ut *Amuleta potentia*, ut *Vocabula Apotropaea*?

SECTIO XI.

PER UNUM LEXICUM LINGUAE SEMITICAE RADICALE OSCAE INSCRIPTIONES POSSUNT ET DEBENT TENTARI ATQUE EXPLICARI.

I. *Oscorum origines ipsos Noachidas vel attingunt, vel superant.*

1. Nam plures Traditiones historicae ab *Arcadibus Pelasgis* servatae ad Diluvium Noachi, et

Mundum Antediluvianum manifeste referuntur. Nyctymus enim postremus ex Filiis *Lycaonis* antediluviani, et unus qui a Iove servatus est in novo Mundo post Diluvium, est ipse *Noachus* Biblicus, ipse נח-תם NUC-TUM, ut appellatur a Mose Geneseos cap. VI. v. 9. *Perfectus Noachus*. Et quia Lycaon est Symbolum totius generationis pravae antediluvianae, est aeque Typus historicus scelerum antediluvianorum. Et quoniam ex gravissima Diluvii clade etiam phaenomena plura coelestia immutata: Hinc illa praestantissima gloriatio *Arcadum Pelasgorum* se scilicet esse vetustiores hac *Luna* praesenti per Diluvium immutata, Diluvianae originis, quoad praesentes phases et formam: quod non vidit Heyne peculiari dissertatione de hac re disquirens in *Opusculis*. Tom. II. n. 18. pag. 333. etc.

2. *Dardanus Atlantius* et Samothracius, ut iam indicavimus supra pag. 45. 46. habendus est Typus Mythicus ipsius *Noachi*. Nam Diluvia particularia, quae per plures menses Regionem aliquam aquis alte compleant per leges Hydrostatices impossibilia sunt; et Mythificari Diluvium *Noachi* a veteribus Gentibus secundum Dogmata Veterum Theologica congruum et opportunum.

3. *Atlantii* autem ipsis *Dardaniis* et Diluvio vetustiores. Nam ex Iove et Electra Atlantis natus Dardanus: Mythisque *Atlantis* et Atlantidum attente consideratis facile colligimus Typum eius Historicum habendum esse antediluvianum *Henochum*, quod revera affirmarunt et praedicarunt Eupolemus, et Alexander Polyhistor apud Eusebium in *Praep. Evang.* libr. IX. cap. 17. pag. 419.

4. *Ausones* tandem per Calypsonem et Circen, intime coniuncti cum *Atlantiis* eamdem vetustatem debent necessario indicare, et praeseferre.

II. *Proto-Oscorum Linguam patriam et propriam fuisse Semitolexicam certo tenendum est.*

Nam si universi *Noachidae*, inter quos *Proto-*

Oscos fuisse necesse est, loquuti sunt *Lingua Semitolexica*, ut data opera in *Fundam.* nostris *Glossosophicis* demonstravimus, et in *Tentam. Etrusco* pag. 85. 86. animadvertimus: utique tenendum est linguam patriam et originalem *Proto-Oscorum* fuisse *Lexeo-Semiticam*.

III. *Osci numquam in foedam et brutam barbariem delapsi sunt.*

1. Primo, quia Climata et Regiones, quas habitarunt et habuerunt *Osci* ab initio Ethnosporadis; usque ad occupationem Italiae ita sunt aequa, salubria, temperata, ita facta ad vitam Pastoralem et Semi-agricolam commode tolerandam, ut numquam Tribus potuerint ita graviter efferari, ut ex. gr. Linguam suam vel omnino amitterent, vel gravissime et foedissime corrumperent.

2. Secundo, quia Populi qui *Traditiones* illas *Atlantias*, *Dardanias*, *Arcadicas*, *Ausonias* servarunt, custodierunt, tardisque nepotibus tradiderunt, non sylvestres homines esse potuerunt, non muti et ululantes in nemoribus, sed Cives omni aequa et honesta civilitate imbuti; Et qui putaret omnes has similesque traditiones Italicas et memorandas deberi *Graecis*, ut censuit Niebuhrius, ineptum fortasse calumniatorem se proderet. Nam pleraeque traditiones, fabulae, Mythi habendi sunt domestici, Ephestii, Tribules, ut ipsa Nomina Gentium et Regionum. Et profecto de traditionibus *Dardaniis* maximus Poetarum non Graecos Mythologos, non Orphicos, et Homeridas citabat, sed » *Auruncos ita ferre senes* » canebat. Tum quid Graecus et Hellen cum Pelasgo Arcade? Quid Deucalion cum Lycaonidis, quid Aeolus cum Nyctimo? Ingens ergo veterum Traditionum Thesaurus, quas servarunt etiam *Osci* nostri, *Atlantii*, *Ausones*, *Dardanii*, *Oenotrii*, servasse eos semper et perpetuo originalem suam civilitatem invicto est argumento.

IV. *Osci Italici Linguam suam Noachicam nun-*

quam deponere, vel gravissime immutare potuerunt.

Nam ut Lingua patria, propria, vetustissima gravissime et systematice immutetur, plura danda sunt, gravissima et systematica, ut vidimus in *Fundam.* nostris *Glossosoph.* potissimum Libr. II. et diximus supra pag. 47. 48. Sunt scilicet condenda *Regimina nova*, et diversa, *Panthea nova* et ampla, Systemata *Mythologica* magna, prolixa, implexa: *Scriptura Hierographica* copiosa, varia, insignis: ut Graeca, Indica etc. Habenda sunt Collegia Sacerdotalia coniurata, fixa, certa; florere debent plurimi Poetae, plurimi Mythopoei, plurimi Iconographi, Sculptores, Pictores, Fusores, etc. Adeout in illa Gente in qua haec Instituta, hi Professores non fuerint, necessario vetus et prima *Lingua* servanda et custodienda fuerit. Atqui apud *Oscos Italicos* nec Collegia Aristocratica extiterunt, nec utcumque coniurata et conspirantia: nullae Scientiae arcanae, nulla Systemata Mythica, nulla Systemata Hierographica et Hieroglyphica ampla varia: Sed omnino mores Pastorales semper et *Patriarchales*. Ergo numquam *Osci* deposuerunt linguam *Noachidum* priorum Patriarchalem patriam et propriam.

V. *Ergo per Lexicon Linguae Semiticae, quod servatur in Libris Hebraeorum, Syrorum, Arabum etc. possunt et debent explorari et verti Inscriptiones Oscae.*

1. Lexicon Radicale *Semiticum* est ipsum Lexicum priorum *Noachidum*, ut ostendimus in *Fundam. Glossosoph.* libr. V. Sect. 2. et adeo ipsum *Lexicon Proto-Oscum*. Atqui *Proto-Osci* numquam deposuerunt, vel gravissime corruperunt *Lexicon* huiusmodi. Ergo in *Inscriptionibus*, sive *Lingua Osca* inveniendum est *Lexicon Semiticum*: sive *Inscriptiones Oscae* possunt et debent explorari per *Lexicon* radicale *Semiticum*. Vide etiam *Tentam.* nostrum *Etruscum*. pag. 85. ad 89.

SECTIO XII.

VOCABULA OSCA DATAE ET CERTAE POTESTATIS CAUSSAS ET ETYMA SUA AEQUA ET RATIONALIA IN LEXICO RADICALI-SEMITICO NANCISCUNTUR ET OBTINENT.

1. ATRU *alter secundus post*: ut colligitur ex Festo in *Quinquatrus*, ubi scribit: *Quinquatrus festivus dies dictus, quod post diem quintam Iduum celebraretur;* ut etiam *triatrus*, *sexatrus*, *septimatrus*, et *decimatrus*, ut habemus a Varrone de L. L. libr. V. pag. 46. 47. Fuisse autem Vocem *Oscam* ex eodem Festo colligitur, qui testatur esse *exemplo* multorum *Populorum Italicorum*: Atqui *Populi Italici* praecipui et genuini uni *Osci*, ea etiam ratione, quod, ut Sectione I. vidimus, universam fere *Italiam* et ipsum Latium habuerunt. Vocabulum autem ATRU vel fit a Chaldaico אתר, ATR *postea post*, vel a תרי TRI *secundo altero*, ἑτέρῳ: quae ab eadem radice sunt. Nam ALTER Latinorum est ATER epenthetico L inserto. Quin ETERI ipso hoc sensu fuit etiam *Etruscorum* et *Eugubinorum*, et adeo vere et proprie Vox *Italica*, ut affirmabat Festus.

Quod si *Quinquatrus*, *Septimatrus*, *Decimatrus* fuit *Dies quinta*, *septima*, *decima*, post *Idus*, palam est veteres *Italos* nostros dispescuisse mensem in duas aequales, vel quasi aequales partes: et primam mensis partem nominasse per simplices ordinales numeros, alteram partem *Post Idus* addita voce ATRU: Et profecto si recolimus, quae de celebratione *Iduum* narrat Macrobius *Saturn.* Libr. I. cap. 15. pag. 223. 224., et nos adnotavimus in *Ten. tam. Hermen. Etrusco* pag. 108. 109. de hoc *Italico* more, quidquid egerint Romani, non dubitabimus.

2. CASCUS *vetus*, *antiquus Sabinis*, et *Oscis*, testibus Varrone de L.L. VI. pag. 70. 71. IX. p. 141. et Festo in *Voce*. Recte Vossius in *Etymol. Latin.* pag. 155. et Mazochius in *Addit. Vossian.* et *Opusc.* III. pag. 11. 12. in *Voce* CASNAR; deducunt a Semitico קשיש QSIS CASCUS *senex*, *antiquus*, et קשש QSS est qui *senuit*, *consenuit*, *antiquus*.

3. CASNAR *Senex stolidus dementatus repuerascens Oscis*. Nam quamvis Festus in *voce* scribat simpliciter et generatim: *Casnar senex Oscorum Lingua*: Varro tamen de L. L. Libr. VI. pag. 71. affirmat: *Item in Atellanis aliquot Pupum Senem quod Osci Casnar appellant*: Et idem Varro apud Nonium Marcellum cap. 11. pag. 136. *More maiorum ultro Casnares arripiunt, et de ponte in Tiberim deturbant*: Quae nisi de *Senibus* imbecillibus et *repuerascentibus* intelligi non possunt. Mazochius locis citatis hanc vocem CASNAR iterum a קש QS, קשיש QSIS, *Cascis* deducebat, et iterum recte. At nil addidit de voce NAR, qua CASNAR a CASCO debet intima significatione differre, si *Oscos* rationales habemus: Atqui Semitis נער NOR plurium pronuntiatione NAR NAAR est *infans*, *puer*, *pupus* Varronis. Et propterea CAS-NAR est *Senex-Pupus*, *senex repuerascens*, et mente et viribus imbecillis, ita ut fieret *Casnar depontanus*, et ludibrium *Atellanarum*.

4. DALIVUS *insanus*, *stultus*, demens. Haec Festus in voce: *Dalivum ait esse Aelius stultum. Oscorum quoque Lingua significat insanum. Santra vero dici putat ipsum quem Graeci δειλαιον, idest propter cuius fatuitatem quis misereri debet.* In Glossis autem Graecis *Dalivus* αφρων απειρος. Quin Graecorum δειλαιος *miser*, *pauper* Hesychio est etiam ματαιος *stolidus demens*. Quamobrem dubitari non potest, quin haec vox Pelasgica et adeo *Osca* diutissime etiam fuerit apud Latinos et Graecos. Nam

Aelius Stilo apud Festum vocem *Latinam* non *Oscam* explicabat. Mazochius in *Addit. Vossianis* pag. 137, rectissime vocem *Oscam* deducebat a Semitico דלה DLE DALE quod est *exhaurire evacuare*, et Arabice prorsus *insanire* et *mentem perdere*: Restat VU VUS BU; Atqui Semitis בוא BUA, quod variissima forma omnes Linguae *Iapetioae* adoptarunt, et retinuerunt pertinacissime est etiam *fieri*, *evadere*; Ita ut DALI-BU, *Dalivu*, sit *factus stultus*, *mente captus*, *factus vacuus* mente.

5. FAMEL *Servus pedissequus Oscis*, Festo auctore, qui scribit: *Famuli origo ab Oscis dependet, apud quos Servus* FAMEL *nominabatur, unde Familia vocata*. Mazochius in *Addit. Vossian.* pag. 276. et *Opusc.* III. pag. 14. deducebat a Targumico et Talmudico פמליא, PHMLIA, qua voce saepe *Angelorum Chori* indicati: At vox huiusmodi quinquelittera non est Radix *Semitica*, nec Radicis פמל PHML demonstrata potestas, nec demonstratum Iudaicam vocem cum plurimis aliis non fuisse adoptatam ex Latinis: Nec probari potest Vossius, qui in *Etym. Lat. Familiam* et adeo *Famulum* a Graeco ὁμιλια deducit, quum unus *famulus* facere non possit ὁμιλιαν. At FAMEL vel FAMUL *Oscorum* mihi satius fit a Semiticis vocibus פעם-אל PHOM-AL, et gutturali ablata FAM-AL ad *vestigia*, *ad pedum impressiones*, *adpedes*, omnino *pedissequus*: quod si *Famuli* apud Veteres ad *Rusticos* labores maxime destinabantur, si gravibus et saepe iniustis *laboribus* vexabantur, et עמל OML *Osce* FAML est *laborare*, *operari*, *defatigari*, utique *Famulus* est עמל OML, FOML. At non eadem FAMILIAE origo, non idem Etymon, sed FAMILIA est ab עם-לוה, OM-LUE, vel אם-לוה, AM-LUE, nempe *familia*, *gens*, *societas coniuncta*: quae *familia* est, et ὁμι-λια est: et adeo tum *Familia* ingenuorum, tum *familia* servorum discrimine nullo: Etsi Etymologos gravissime vexa-

verit homonymia ista in diversis Personis. Quin si *Familiam* eam societatem humanam dicimus, quae intime nobis *coniuncta*, quae coram nobis, sub oculis nostris, sub conspectu nostro manet, et פומא PHUMA, פום PHUM FUM est *os*, *facies*, *vultus*, coram, in praesentia: utique פום-אל PHUM-AL est quod coram et *sub oculis* nostris colligitur et manet, est utique *Famulus* et *Familia*.

6. GELU, *Glacies* eadem potestate *Oscis* et *Latinis*, teste Stephano Byzantino in Γέλα, et si vis Suida in *voce* eâdem. Mazochius in *Addit. Voss.* pag. 372. et *Opusc.* III. pag. 15. 16., iure refutato Bocharto, arbitratur GELU factum per aphaeresim a GELIDO derivari a Semitico גלד, GLD, *Gelido, cute pelle corio crusta*: Nam *Glacies* est *crusta* et quasi *pellis* aquarum. At quoniam *Gelidus* numquam substantive sumptum est, et Radix *Gelu*; ideo ego potius hoc *Gelu* a radicibus גלל, GLL, גיל GIL, גלה GLE, quibus est incredibilis *Polydynamis*, et mire facta ad propositum. Nam significant *aquas, fontes, densitatem*, *indurationem*, et *pelluciditatem*, quae *Glaciem faciunt*.

7. HIRPUS *Lupus Oscis*, et singillatim Samnitibus *Hirpinis*, qui inde nomen habuerunt, et *Faliscis Soractensibus;* testibus Strabone libr. V. pag. 250. Festo in *voce Hirpini*, et Servio ad *Aeneid.* XI. v. 785. *Lupus* quidem Semitoglossis est זאב ZAB, adeoque HIRPU habenda est *Oscorum* Vox idiomatica; sed recte constituta: Nam חרפ CRP HRP, HIRPU est *rapere*, *abripere*, *praedari*, quod proprium *Luporum*: Tum חרב HRB HRP HIRP est *praelium*, *pugna*, *rixa*, et propria *Luporum*, et absque *pugna* fere numquam *praeda* obtinetur. Lupulus ad *Inscript. Corfin.* pag. 57. deducebat a טרפ THRP *rapere*, *abripere*: Sententia opportuna, sed voce heterophona: Potior הרפ HRP, ex quo est etiam αρπαζω Graecorum, et *rapio* Latinorum.

8. ITALUS *Vitulus Taurus* veteribus Italis, qui proprie *Osci* et *Ausones* fuerunt: Testibus Apollodoro in *Biblioth. Libr.* III. Varrone de R. R. libr. II. cap. 5. pag. 76. Gellio in *Noct. Act.* libr. XI. cap. 1. pag. 516. Tzetze ad *Lycophr.* pag. 183. aliisque. Bochartus in *Chan.* pag. 565. et in *Hierozoic.* I. libr. 11. pag. 276. *Vitulum*, et *Italiam* deducebat ab עגל OGL *vitulo* quidem, sed voce prorsus heterophona: Mazochius in *Add. Voss.* pag. 369. et *Opusc.* III. pag. 3. deducebat primum ab Talmudico אטליז ATHLIZ *Macello* et *Foro carnario*: Non recte, quia vox Talmudica recens, quia Radix non Semitica, quia *macella* bovina recentia, quia ex tristi caede animalis utilis non potuit nomen solemne magno Populo desumi. Quae fortasse praesentiens animo Mazochius aliud Etymon ITALI et *Vituli* proposuit, nempe עצל OTZL, עטל OTHL *piger lentus tardus*, et insuper *curvus incurvus*, quos esse proprios Boum characteres prolixa eruditione ostendere est conatus: Et mea sententia nec etiam feliciter. Nam nec *Vituli* et *Tauri* propria et singulari voce possunt dici *pigri*, *lenti*, *tardi*, quum contra frequentissime discurrant, ludant, irruant petulci. Nec Boves dici possunt *curvi* et *incurvi* simplici vocabulo. Quamobrem ego longe satius tenerem idiomatica quidem significatione, sed quae damnari a nemine potest Oscos nostros *Vituli* sive *Itali* nomen desumsisse a טלה THLE *Iuvene*, *iuvenco*, *adolescente*. Nam intima significatio aequa est, et analogia iusta. Et si Chaldaeus et Syrus dicere potuit טלא THLA, ITALA *agnum*, et *arietem* cur *Oscus* non potuit appellare *Vitulum* טלו THLU ITALU?

9. LUCETIUS *Iupiter Oscis*, scilicet Deus *lucis*, *Pater diei*, Diespiter: Teste Servio ad *Aen.* IX. v. 570. Eodem modo *Iovem* suum appellasse Romanos testis est Cnaeus Naevius apud Gellium *Noct. Actic.* libr. V. c. 12. p. 144.: Sacerdotes *Salii* apud Macrobium in Saturn. I. cap. 15. pag. 223. et alii

plures Romani apud Festum in *Voce:* Nec mendaciter: Nam Romani magna ex parte *Arcades* et *Osci*, quibus *Iupiter Lycaeus* et *Pan Lycaeus* Dii magni et *Lucetii.* Vocabulum autem LUCETII factum teneo ab Arabico לחח LCC LC LUCH *lucere, splendere, coruscare*, et hinc *lux lumen, splendor*: et אתה ATE, איתי AITI Arabum Syrorum et Chaldaeorum *dare, tribuere, afferre*, adducere. Ita ut LUCETIUS sit US איש AIS *Persona* אתי ATI ETIE *dans, tribuens*, LUC לחח LCC *lucem* splendentem diem, nempe *Diespiter.*

10. MAMERS *Mars* Deus Bellorum praeses *Oscis* Auctore Festo in *Mamertini.* Mazochius ad *Tabul. Heracl.* pag. 548. in *Addit. Voss.* et in *Opusc.* II. pag. 239. 240. deducebat vel a מרס MRS, ממרס MMRS *premere, comprimere* urgere adfligere: vel a מרץ MRTZ *acer, vehemens, robustus*, quae probari possunt et retineri.

11. MEDDIX TUVTICUS summus Magistratus *Oscorum*: Festo in *Voce*, et aliis pluribus testibus. Mazochius in *Addit. Voss.* p. 431. et in *Opusc.* III. p. 20. 21. deducebat MEDDIX a דין DIN *iudicare, decernere, lites solvere*: et faciebat מדין MDIN *Iudicem* et magistratum: Sed infeliciter: Nam numquam ab *Oscis* vel Romanis scriptum MEDIN, vel MEDINX, et numquam litera Radicalis potuit semper abiici et praeteriri. At satius MEDDIX fit a מדד MDD MEDD *metiri, mensura, metrum*, et adeo *regula, mos, lex:* et יחש ICS *aptare, adaptare*, adtribuere: quod facit *Iudex* et arbiter litium. Ita ut MEDD-ICS ille sit, qui *leges, mores* receptos, *Praecepta* Patrum, quae sunt מדד MEDD *norma regula, aptat apponit* ICS, *litibus* et quaestionibus inter Cives obortis. Alteram vocem TUVTICUS idem Mazochius *locis citat*, ducebat a צדיק TZDIQ TZDIK *Sanctus iustus*: Et etiam dure: tum quia heterophonia est gravis, tum quia non potest solemni et certa voce appellari *san-*

ctus et *iustus*, qui fortasse numquam ipsa re et facto est iustus et sanctus. Quamobrem ego teneo *Oscam*, vocem longe satius fieri a TUVT-ICUS, sive יחש-רעת DOT-ICS. Nam רעת DOT ראת DAT רות DUT; et *Osco* ore TUVṪ, quia vehemens adspiratio gutturalis transit in labialem V. F. B.; est *lex norma statutum*, et יחש, ut dictum est, *aptare, adaptare, applicare.* Nec potest obiici per haec Etyma utramque Vocem *Oscam* fieri homiodynamicam, et similis potestatis. Nam omnes fere Radices lexici *Noachici* sunt polydynamicae, et adeo ambiguae et incertae potestatis. Adeoque necesse fuit pluribus Gentibus et maxime ubi agebatur de Nominibus Politicis necessariis cumulare *synonyma*, adiungere epitheta, ut Polydynamis illa coerceretur et definiretur. Quamobrem considerata veterum Linguarum natura *homiodynamis* ista reddit etyma proposita magis probabilia. Quin quum vox MEDDICIS per Latinos Scriptores tota ad nos pervenerit, et fieri posset, ut vox ore *Osco* fuisset saltem saepe MEDDICU, Latinis ex Lege Linguae suae S addentibus, nempe MEOD-ICU TUVT-ICU, quum ICU fieri possit tum ab יכח IKC, ICU *arguere*, *redarguere*, *increpare*, *iudicare*, castigare: vel ab יקה. IQE ICU *monere*, *admonere, defendere*: Quae omnia prorsus opportuna et apta subiecto sunt, et quisque videt esse hoc pacto nobis alia quidem Etyma, sed intrinsece probabilia vocum propositarum.

12. MULTA *Poenae* species ob Civilia facinora atque errata expiandae per solutionem *pecuniae*, vel *pecorum*, aliarumque substantiarum socialium. Vox *Osca* adoptata a Latinis teste Festo in *Voce.* Varro apud Gellium *Noct. Act.* XI. cap. 1. pag. 517. 518. vocem facit *Sabinam* et *Samniticam*, quod perinde est, *Sabini* enim Prisci et *Samnites* Populi principes inter *Oscos*. Etymon autem Vocis Mazochius in *Addit. Voss.* pag. 486. rectissime ducebat a Chaldaico

מלט MLTH *Multha redimere*, *liberare*. Nam *soluta Multa* reus *liber* erat atque immunis a quacumque alia *poena*. Placebat tamen eidem Mazochio loc. cit. *Oscam* vocem deduci a מלל MLL *dicere*, *pronuntiare*, decernere: quia *Multa* Oscorum esset מלתא MLTA *dicta*, *indicta*, *dictata* per Magistratum, quod aperte indicat Varro de L. L. IV. pag. 41: Nec profecto perperam. Quin egomet sum persuasus veteres Glossopoeos in solemnibus *Vocibus* condendis plures Radices Linguae Primigeniae contraxisse et unâ fudisse, et animadvertens plures Auctores Veteres scribere etiam *Mulctam* et *Mulctari* non *Multam* et *Multari* arbitror adiectam etiam Radicem Arabicam מלך MLK, *accipere*, *vindicare*, adipisci, vel etiam מ-לקח M-LQC M-LC, quod *capitur*, *accipitur*, *sumitur*; quia *Mulcta* a Magistratu imponebatur. Adeout *Oscorum* MULTA esset *Poena* מלתא MLTA *dicta*, *pronuntiata*, et מלכ-תא MLC-TA *sumta*, ut reus *liberaretur* מלטא MLTHA MULTHA ab alio damno et malo.

13. PETORA *quatuor Oscis*, Auctore Festo in *Petorritum*; Ex quo etiam colligimus Gallis pariter, quibus patria vox *Petorritum*, sive currus *quatuor rotarum*, *Petora* fuisse *quatuor*, ut et Graecis Aeolensibus quibus non τισσαρες, sed πιτορες dicebatur. Mazochius in *Addit. Voss.* pag. 535. et in *Opusc.* III. pag. 25. 26. deducebat *Oscum*, Gallicum, et Aeolicum *Petora* a Semitico פצר PHTZER, quod ipsi est *multiplicari*, *augeri*, *crescere*, et adeo homiodynamicum רבע RBO Arabo *germinare*, *pullulare*, et רבע RBO *quadrare*, in *quatuor* distinguere. At illud פצר PHTZR in sensu multiplicandi probari et recipi non potest, nec certum ipsos Glossosemitas dixisse *quatuor* ארבע ARBO a רבב RBB רבה RBE *multiplicari*, et *augeri*; nec Theologica potestas τετρακτυος Pythagoricae, ad quam etiam confugit Mazochius *augmentum* et multiplicationem spectat, sed omnino *complementum* et perfectionem.

Quamobrem nisi *Osci*, *Galli*, et *Aeoles* suum PETORA per commodam Temuram Semiticae vocis late receptae ארבע ARBO ארבת ARBT ARPT, PETORA fecerint, difficile prorsus est inter plurimas radices Semiticas, quae possunt pronuntiari PETORA verum vel probabilius Etymon seligere et proferre; quum omnium *Numerorum* Etyma sint longe difficillima, sive quia saepe in ore vulgi immutata, sive quia per arcanas et Cabalicas leges a Sacerdotibus vel Ethnarchis et Phylarchis condita et constituta, ut ego arbitror. Adeout mihi quandoque visum sit vehementer probabile vocabula *Latina* primorum decem Numerorum esse decem Nomina Dei opt. max. quae collegeram et explicaveram.

14. PIPATIO *Clamor plorantis Lingua Oscorum*, Auctore Festo in *Voce*. Mazochius in *Addit. Voss.* p. 542. et *Opusc.* III.28.putabat esse ipsum *Pipire* et *pipare* avium, apud Latinos, et πιπίζειν Graecorum; de quibus egit Vossius in *Etym.* voce *Pipulus*; et adeo צפצוף TZPTZUP Chaldaeorum, et Iudaeorum, de quo Buxtorphius in *Lex. Rabbin.* At si *Pipire* avium est naturalis, continua, et moderata eorum vox, si Chaldaicum צפצום TZPTZUP vel semper, vel saepe est *mussitare*, *murmurare*, obscure et quasi cum murmure loqui, haud utique idem et par est *Oscorum* PIPATIO, sive *clamor* altus, magnus, manifestus *plorantis* et gementis. Quamobrem egomet *Oscam* vocem ducerem a פעה PHOE POE contracte ex lege Pelasgica eiiciendi Gutturale ע Huain, פה PE PI *vociferatione*, *clamore*, *inclamatione*; et פתא PTA PATA *lata*, *ampla*, *magna*: unde PI-PATIO esset *vociferatio magna*.

15. PITPIT, *quidquid* Latinorum, auctore Festo in *Voce*. Mazochius cum aliis pluribus in *Addit. Voss.* p. 542. et *Opusc.* III. pag. 28. 29. habuit *Oscam* Vocem ut corruptionem *Latinae*; ut pag. 26. habuerat Latinam vocem corruptionem *Oscae*: Adeoque et a quaerendo Etymo abstinuit. At aio temere et haud iure affirmari *Oscum* PITPIT esse corruptio-

nem Latini *quidquid*. Nam Festus non affirmat *Oscos* ex *Latino quidquid* fecisse PITPIT; Sed contra quod *Latinis* est *quidquid Oscis* esse PITPIT, quae voces possunt ex diversissimis Etymis oriri et gigni. Et propterea teneo *Oscum* PITPIT vel esse a Semitico פת-פת PT-PT *pars pars* ipsum nostrum Italicum *fetta, fetta*; vel esse a פה-פה PE-PE addito formativo ת T *parte portione*; vel a פתת PTT *frango*, *comminuo*; quia primis et vetustis temporibus idea metaphysica τυ *quidquid* debuit esse sensibilis et physica, et quasi partium numeratio et repetitio. Fuisse autem Romanos, qui vetustum et *Oscum* PITPIT in *quidquid* converterint, argumento mihi est certo, quod dixerint *usquam* et *uspiam*, *nusquam* et *nuspiam*, *quisquam* et *quispiam*, fatente ingenue Festo in *quispiam* se nescire unde et *quid* το *piam* sit. At servatur adhuc ignotum hoc PAM, seu PIAM in celebri *Cippo Nolano Osco*, quem in *Analys. Herm.* ex parte explicavimus, et ibi nullam potestatem sentimus esse τῳ PAM nisi *cuiuspiam*, singulorum, omnino a פה-עם PE-OM: *Pars multorum*, *Unum ex pluribus*; vel imitatum a Glossomorphe Semitica, quasi פהים PEIM *partes omnes*, singula elementa.

16. REX REGIUM ex Radice *Osca* et *Samnitica* esse colligimus ex Strabone Libr. VI. pag. 258. et Eustathio ad Dionysii *Perieges.* v. 344. pag. 61. qui loquentes de Urbe Brutiorum REGIO originis certo *Ausonicae* et *Oscae* vetustissimae, ut iamdiu recte observavit. Morisanus ad *Marmor. Rhegin.* pag. 7. 10. factum quasi a Sede *Regia*, et βασιλειῳ adnotarunt. Mazochius in *Addit. Voss.* pag. 595. deducebat a רעה ROE *pascere*, *gubernare*, regere; et certum est Semiticum רעה ROE posse pronuntiari REGIE REGIO. Ipsemet tamen Mazochius maluisset deducere à REC parte celeberrimi vocabuli Aegyptii ABREC, quod refertur Geneseos cap. XLI. v.

43. Sed quum huius vocis potestas et etymon non sint explorata, nec apud Semitoglossos Radix רך RK habeat certam et manifestam potestatem regendi et gubernandi, satius est priori etymo adquiescere, vel deducere a רכש RKS REGIS, *dives*, *opulentus*, *potens*; qua ipsa potestate sumi a Latinis vocem REX REGIS certum est: vel tandem a ראש RASC factum RACS *caput*, *princeps*.

17. SECULA *Falx* Campanis, et adeo *Oscis*, Varrone teste, qui Libr. IV. de L. L. pag. 33. scribit: *Hae falces in Campania Seculae:* Ipse quidem addit has *seculas* ita dictas a *secando*, quod si de Latino *Secare* dixit, de more dixit falso: Nam in Campania recentissima certe Latina Lingua, pluribus eius Urbibus adfectantibus et in Nummis *Osca* nomina; et propterea numquam fieri potest, ut quod ceteri Romani *Falcem* dicerent, ipsi auctoritate sua ex Romano *Seco Seculam*. At si Glossosemitis est זוח ZUC ZEC *sec auferre removere tollere* זוח-אל ZUC-AL, SEC-UL erit *supellex* instrumentum proprium ad *auferendum removendum*, quod est *Falx* et *Secula*. Tum זכה ZKE SKE SEC est *mundare purgare*, *radere*, unde *novacula* (rasoio) dicta מ-זכה M-ZKE; Et זחל ZCL quasi *serpens* adrepere, unde veteribus *Zancle* δρεπανος, et fortasse *zecula*, utique radices tum *Oscae* SECULAE, tum Latini SECARE ex his sunt petendae; quin mea sententia Campana SECULA potest haberi ipsa Semitica נגל NGL NECULA vel מגל MGL MEGULA *falx falcis* Semitoglossorum non plebeia corruptione deformata, sed quia Radici גל GL *Oscus* sollers adiecerit intensivam ש S, et fecerit ש-גל, SE-GULA, SECULA.

18. SOLLUM *totum integrum Oscis* Festo auctore, qui in *Solitaurilia* scribit: *Sollum Osce totum et solidum*. Mazochius in *Addit. Voss.* p. 662. putans genuinam radicem esse *Sollo* non *Sollum* deducebat illud a Semitico כל KL KOLLO, quod deinceps

transisset in SOLLO. Sed mea sententia non feliciter. Nam *Kaph* gutturale vel difficillime vel numquam transit in sibilantem S, et potestas τῦ SOLLO *Osci* non in numero et quantitate, ut כל KL Semitoglossorum, sed in integritate et plenitudine stare videtur. Quamobrem ego Radicem *Oscam* quandoque fractam a Latinis et decurtatam puto esse SOLLUM, et fieri a Semitico שלם SLM SOLUM SOLLUM, quod est *integrum*, *perfectum*, *totum*.

19. SUBLICIUS Vox *Volsca* et adeo *Osca*, qua *Pons ligneus* flumini iniectus significabatur, auctore Festo in *Voce*. Plura ad rem adnotata a Scaligero, Vossio, Dacerio, Forcellinio; Sed Etyma genuina non indicata. Equidem putaverim Vocabulum factum solita Veterum sollertia, ex vocibus Semiticis שבל-לוח-עץ SBL-LUC-OTZ. Nempe a שבל SBL SUBL, *via semita iter*; quia *Pons* via et semita est: et quidem posita super שבל SBL SUBL *flumine, fluvio*: et facta est a לוח LUC LIC *tabula assere tabulato*; OTZ US *ligneo* ex ligno. Is *Pons Sublicius*.

20. SUPPARUS, *Vestis* species a Latinis quidem adhibitae, sed Vocabulo *Osco*, ut Varro docet de L. L. libr. IV. pag. 32. scribens: *Alterum Vestis genus, quod supra, a quo Supparus, nisi quod id dicunt Osce.* Vossius in *Etymol. Latin.* Dacerius in *notis* ad *Fest.* Forcellinius in *Lexic. Latin.* plura utiliter adnotant: Sed non Etyma et origines recte definiunt. Mazochius in *Addit. Voss.* et *Opusc.* III. pag. 32. 33. putans colorem *Suppari* fuisse *Ostrinum* vel *puniceum* et similem *Aurorae* rutilanti, voluit SUPPARUM dici ab ipso nomine *Aurorae* שפרפרא SPRPRA, et brevius שפר SPR *supparu*, vel a שפר SPR *pulcro venusto*, quia *Aurora pulcra*, et *Supparus venustus*. Atqui צפר TZPR SPR etiam est *Aurora* et *flavus*: et *supparus* potest satius Grammatice dici a *flavo* hoc colore, quam ab *Aurora*. At si *Supparus* Vestis fuit, quae *appareret*, quae *supra*

poneretur, ut Varro aperte testatur, utque etiam legendum esse in Nonio Marcello idem Mazochius sollerti eruditione probavit, utique satius ducerem a שפה SPE SUP *eminere*, *prominere*, *supra* esse, et פאר PAR *ornatus*, *ornamentum*, *decor*: quae congrua et opportuna.

21. VEIA *plaustrum* apud *Oscos*, auctore Festo in *Voce.* Mazochius in *Addit. Voss.* pag. 725. et *Opusc.* III. pag. 35. legere maluit in Festo *Vela*, et etymon ducere a Semitico עגל OGL *plaustro curru.* Quae durissima et falsa. Nam plerique docti Viri in Festo legunt VEIA non VELA, et quum Latinis fuisset *Veha*, *Vehiculum*, *vehere*, et hae voces, utpote necessariae et rusticae vetustissimae, iure et *Oscis* nostris VEIA non VELA adtribuemus: etymonque ducemus a radice usualissima et receptissima בוא BUA, ביא BIA *venire*, *advenire*, *ducere*, *adducere*, quod *plaustri* est, et *Vehae* Latinae.

22. UNGULUS *Oscorum* Lingua *annulus*, Auctore Festo in *voce*, et ex parte Plinio Libr. XXXIII. Cap. I. Mazochius in *Add. Voss.* pag. 783. et *Opuscul.* III. pag. 35. 36. ducebat a Chaldaico גושפנקא GUSPNQA, quo *annulus* signatorius significabatur. At dura haec, remota, heterophona vox, et potestas radicum incerta et ignota. Omnino satius, et facilius Oscus UNGULUS fit ab עגל OGL, et nasali inserta ONGL UNGL, UNGULU *curvus orbicularis rotundus*, ut *annulus*: Vel ab ענק ONG UNGU *res curva, incurva* curvatus, ut digitus; et AL, אל AL *ad*, nempe *ad digitos*, suppellex, quae *ad digitos*, ad *ungues*, *ung-ulu* spectat, qui *annulus* est.

ANALYSIS

HERMENEUTICA

INSCRIPTIONUM OSCARUM.

SECTIO I.

INSCRIPTIONES CAMPANAE.

CAPUT I.

Inscriptiones Pompeianae.

I. NI. TREBIIS TR. MED. TUVTIK. AAMAN APHPHED.

Haec inscripta sunt Epistylio Columnarum erectarum circa Bidental Pompeianum, quodque modo servatur in hoc Regio Museo Borbonico. Ediderunt Academici Herculanenses in *Diss. Isagogic.* Tab. 19. et 20. pag. 88. 89. Finatius in *R. Mus. Borbonic.* Tom. III. P. I. pag. 5. Canon. de Iorio in *Plan de Pompei* Tabul. IV. n. 4. pag. 122. I. B. Grossi in opere *de' Volsci* pag. 165. Raim. Guarinius in *Comm.* XI. pag. 23. 24. M. Arch. Lupulus in *Inscript. Corfin.* Edit. 2. 1828. pag. 84. 85. etc. etc. Carolus Rosinius praecipuus Auctor *Diss. Isagog.* vertebat: *Nitrebes ter Meddis Tuticus septo conclusit.* M. Arch. Lupulus: *Tribum tertiam Medius Tuticus circumadvocabat.* Guarinius: *Nitrebius tertio Meddix summus faciundum curavit.* Nobis est: *Numerius Trebius unus ex Duumviris Iuridicundo opus redemit.* Nam: 1. NI: est Sigla *Praenominis*, quod *Osci*, ut Romani, breviatum semper adhibuerunt in scriptura, quodque aliud esse non potest nisi *Numerius*, receptissimum apud *Oscos* Praenomen. 2. TREBIIS, IS-TREBI, IS איש AIS Vir *homo per–*

sona ex Gente *Trebia* clarissima tum Pompeiis, tum in aliis Civitatibus *Oscis*, imo et inter Etruscos. *Nitrebii* vero neque apud *Oscos*, neque apud alias Gentes noti. 3. TR. TRI, תרי TRI *secundus* ipsum *τρίτος* Graecorum, et *alter* Latinorum L epenthetico interpolato, תרי TRI Chaldaeis non *tertius*, sed *secundus*, unus ex *duobus*. 4. MED. nempe MEDDICS: sive Magistratus Pompeianus *iuridicundo*, legibusque aptandis et vindicandis praepositus, et de quo diximus supra pag. 73. 74. quem *Meddicem* esse *Duumvirum Iuri dicundo* tum aliae Inscriptiones Latinae Pompeianae, tum Monumenti huius *Osci* aetas Octaviano Augusto minime vetustior praeter alia demonstrant. 5. TUV. Nempe TUVTICUS, sive דעת-יקס DOT-ICS, qui *Normam*, *Leges*, Sanctiones Civiles *aptat*, *adtribuit*, ut vidimus supra pag. 73. 74. 6. AAMAN. ipsum Semiticum אמן, *opus opificium*, Aedem nempe *Bidentalis*, *Columnas*, et *Tholum*. Estque adnotanda aequissima Vocabuli orthographia a Campanis adhibita. Nam vocalis adhaerens et naturalis *τῳ* M expressa est unico A, eoque dubio procul brevi, at א *aleph* adspiratio vocalica longa et producta expressa est duplici A. 7. APHPHED ipsum Semitoglossorum פרה PHDE vocali praeposita: Nam etiam modo inter Syros et Arabes sunt qui ex. gr. NASAR efferunt ANSAR. פרה PHDE vero est *solvit*, *persolvit*, *redemit*, liberavit: Scilicet iste Duumvir *Trebius pretio* Artifici *persoluto redemit opus*, et sacro cultui liberum addixit, et consecravit.

II. B. PUPIDIIS B. MED. TUV. AAMAN APHPHED, ISIDU PRUPHATTED.

Haec inscripta lapidi olim infixo super Portam Pompeiorum Sarnensem, cui imposita etiam fuerat Protome Deae *Isidis*. Ediderunt Claracus in *Fouille de Pompei* Tab. XXXVII. 2. De Iorio *in Plan de Pompei*. Tab. IV. 3. pag. 55. de Laurentiis in *Campania* Tom. I. pag. 141. Guarinius *Comment.* XI.

pag. 20. 21. Claracus et Mazois vertebant: *C. Popidius C. filius Meddix Tuticus restituit, et Isidi consecravit.* Guarinius vero quum invenisset in *Osco* TVU *Summus*, in IZIDV Latinum *Idem, eadem, idem*: vertit: *C. Popidius C. F. Duumvir Summus faciendum curavit, eidemque probavit.* Nos vertimus: *Caius Popidius Caii filius Duumvir Iuri dicundo opus redemit, et Isidi persolvit.* Nam. 1. B. est BEL BAAL בעל BOL בל BL *dominus herus*, nomen tum honoris et dignitatis, tum Praenomen plane homiodynamicum CAIO Romanorum, ut vidimus in *Tent. Herm. Etrusco* pag. 132. adeo ut qui B. signatur *Etrusce* vel *Osce Bel, Fel, Vel* sit Romano sermone C. *Caius*. 2. PUPIDIIS nempe *Pupidius*: IS-PUPIDI, ex Gente *Pupidia* Pompeis clarissima, ut ex innumeris Inscriptionibus constat. 3. B. *Beli* scilicet *filius*, sive *Caii* Romano sermone. 4. MED. TUV: *Meddix Tuticus*, sive *Duumvir Iuri-dicundo*, ut modo vidimus. 5. AAMAN APHPHED: *Opus redemit*, liberavit e manu artificum pretio persoluto. 6. ISIDU: *Isidi*: Deae magnae Pompeianae, ut ex pluribus aliis Inscriptionibus, et potissimum ex Templo *Isiaco* adhuc superstite certum est. Ita ut, qui vocem hanc ISIDU in *idem eadem idem* corrumpunt toto coelo aberrent. 7: PRUPHATTED detracto D paragogico, quod *Osci* retinere voluerunt, ut Criterium originis suae *Asiaticae*, et *Proto-Persicae* vox componitur ex duabus vocibus PRU, vel BRU, et PHATTE: BRU vel PRU fit a Semitico ברר BRR, בר BR, ipso Latinorum *pure puriter sancte intemerate;* et PHATTE est ipsum פצה PHTZE Populis, quibus deest Z, ut *Oscis*, PHTTE *solvere persolvere retribuere consecrare*, quam potestatem Oscum PRU si est פרע PRO etiam habet.

III. B. PUPIDIIS B. MED. TUV. PASSTATA EKAK UPSAN DEDED ISIDU PRUPHATTED.

Haec Lapidi inscripta, qui in hoc Regio Museo adservatur, Pompeiis inventus, utque ego arbitror, iuxta portam Sarnensem ad *Isidis Aediculam*. Nam ea sic verto: *Caius Popidius*, *Caii filius*, *Duumvir Iuri dicundo Hortum*, *Aediculam*, *Arulam libentissime Isidi et pure persolvit*. Nam: 1: B. PUPIDIIS B. est *Caius Pupidius Caii filius*, ut dictum est. 2. MED. TUV. est *Meddics Tuticus*, *Duumvir Iuri dicundo*. 3. PASSTATA Campano ore latiore est mea sententia ipsum בסתא BSTA PASTA Arabum et Iudaeorum *Hortus*, *Viridarium*, ager herbis et oleribus consitus, locus *Veneri*, et adeo *Isidi* specialiter sacer, unde *Veneris* et *Adonidis Horti* plane et late celebres, et religiose culti. Nam qui putaret *Isidem* Pompeiorum essei psam *Isidem* Mesraitarum, Thebaeorum, et Aethiopum, erraret; Sed est *Isis* Pelagia, Isis vel Venus Palaestinorum, *Isis* marina Cypriorum, *Venus Hortensis* Syrorum, et quam adeo Graeci scitissime dicebant εν Κηποις, quod frequenti testimonio Luciani Syri, et aliorum constat. Haec est ipsa *Venus* Romanorum nempe *Hortensis*, ut constat ex Varrone de L. L. V. pag. 48. de R. R. c. I. p. 4. Festo in *Rustica vinalia*, aliisque. *Pastata* autem Pompeianorum, et *Bostani Hortus* Orientalium nil prorsus *Radice* differunt; et si Arabs adsumsit formativam N, Pompeianus addidit T, *ta*, vel טע THO locum regionem spatium telluris, vel תא, vel תוה *locum* definitum designatum, τεμενος Graecorum: quod de sacro *Horto* et *Viridario* verissimum est. 2. EKAK, Vel a חוק CUQ KUK *Echah Sinus*, *gremium*, locus curvus, *loculus*, nobis *Nicchio*, σηκος Graecis, ac licula sacra continendo Simulacro idonea, et ad religiosum cultum praestandum opportuna: vel קוה QUC *Ekach recipere continere*, quod facit *Aedicula Nicchio*, quo quasi

carcere קוח QUC *Simulacrum Dei* continetur, et retinetur. 3. UPSAN ipsum Chaldaeorum, Syrorum, et Iudaeorum בצינא BTZINA, imo בוסינא BUSINA vel UPSINA *Thymiaterium*, *Candelabrum*, *Arula*, thuribulum, quod ad Deae cultum vel plane necessarium, vel opportunum. 4. DEDED: abscisso D paragogico DEDE a דוד DUD *amicus*, *amans*, cultor devotus colens diligens, vel libenter libentissime. 5. ISIDU PRUPHATTED: *Isidi* sancte *pure*, *pie*, *solvit*, *persolvit*, consecravit. pag. 83.

IV. B. AADIRANS B. EITIUBAM PAAM BEREIIAI PUMPAIIANAI TRISTAA MENTUD DEDED EISAK EITIUBAD.

Haec inscripta Tabulae Lapideae, quae servatur modo in hoc Regio Museo, inventaque olim fuit ad parietem Curiae Pompeianae, qui tamen Paries erat, ut adhuc est, communis cum Pariete Templi *Isidis Pompeiani*. Edidit primus accurato Ectypo Canon. de Iorio in *Plan de Pompei*. Tabul. IV. n. 5. hinc Micalius in *Monum. Italic.* Tab. 120. 5. et T.III.Oper.p.213. 215. Guarinius Comment. XI. p. 9. literis hybridis, et falsa saepe lectione. Cuius versionem, qua BEREIAI vertitur Cereri: EITIUUAM PAAM *aedem quampiam*: TANCINUD το ἄγγειν: quaerat qui vult. Nos autem arbitramur hac Inscriptione contineri iuridicam et solemnem agnitionem et receptionem Templi Isiaci Pompeiani factam a Magistratibus Pompeianis hic more Osco et veteri Anonymis: quod ut clarius intelligatur aliquanto altius res repetenda est. Templum *Isidis Pompeianum* sub primis Romanis Imperatoribus certe positum, sed terrae motu aetatis Neronianae collapsum et eversum *Numerius Popidius Celsinus* ex illustribus Civibus Pompeianis pecunia sua refecit, instauravit, perfecit. Is autem *Popidius* ille est qui in celebri *Inscriptione Latina* ad Portam Templi inventa, et quam ponendam quidem, sed numquam positam ob errores scripturae

putamus, dicitur Annorum SEXS: non quidem *sexaginta*, quod adnotari fuisset ineptum; sed ut nos ipsi prolixa *Dissertatione* perlecta in *Academia Herculanensi* per annum 1818. demonstrare adnisi sumus, annorum sexdecim, et ut olim etiam praeter alios plures eosque doctissimos Viros unus ex maximis non Italiae solum, sed Europae totius Iurisconsultis Iosephus Paschalis Cyrillus interpretabatur; qui opinionem eorum qui *puerum* sive infantem non ratione utentem annorum *Sexs* Templi instauratorem faciebant ita irrationalem habuit ut nec refutatione, nec mentione dignam existimaverit. Et profecto nunquam alibi satius et evidentius improbabilitas opinionis sentitur, nisi in libellis eorum, qui eam tuentur et orant. Quum ergo *Popidius* iste et nomine suo, et pecunia sua Templum instaurasset et perfecisset, et nomine et auctoritate sua factum et perfectum dono Civitati Pompeiorum dedisset, et Civitas Pompeiorum *ob hanc liberalitatem* eum adlegisset *gratis* in *ordinem Decurionum*: Actum Solemnem quo Civitas Pompeiana sive Magistratus Pompeiorum idonei agnoscunt et recipiunt *Templum Isidis* a *Popidio* refectum et traditum Civitati hac Inscriptione *Osca* contineri arbitror: et ideo verto: *Dominus Censor, Dominus Corrector fundamenta Templi Pompeiani quaesiverunt, definiverunt, metiti sunt, amicissime iurgia composuerunt*. Nam: 1. B. est *Bel* בעל BOL, *Dominus*, Titulus hic honoris, non Praenomen Personale, quum more Osco et vetustissimo Magistratus anonymi sint. 2. AADIRANS, AADIR-ANS עדר-אנש ODR-ANS, עדר ODR ipsum AADIR est *Ordinare* Latinorum, qui digerit per classes, disponit, instruit classe loco Cives, nempe אנם ANS *homines*, *Instructor*, *Ordinator Populi et Census*, qui solemni et stato vocabulo a Romanis dicebatur *Censor*. 3. B. EITIUBAM: *Dominus Corrector*: Nam B. *Bel* est *Dominus*: EITIUBAM fit ex EITIUB, et AM, AM,

OM est עם OM *Populus*, Civitas, Cives, et EITIUB ipsum עתיב OTIB EITIB EITIUB, *qui arguit*, *redarguit*, corrigit, quam Potestatem in uno *Censore* cumulatam a Romanis in duobus Magistratibus prudentius *Pompeiani* dispescuerant, imo universi *Osci*. Nam apud plurimos isti *Eitiuvi*, sive *Correctores* et *Vindices* legum inveniuntur. 4. PAAM ipsum פעם POM PAAM, *Vestigia*, *fundamenta*, *Scenographiam*, nobis *Pianta*. 5. BEREIIAI, BEREI-IAI: est בירה-יה BIRE-IAI *Domus Dei*, vel *Deae*, aedes sacra, *templum*. Nam בירה BIRE בירא BIRA *Chaldaeis* est *Templum*, *Aedes*, *Palatium*, et יה plurimis Semitoglossis *Deus*, et adeo *divina*, Sacra, nempe *Deae Isidi*. 6. PUMPAIIANAI, *Pompeiani* ore Romano; nempe Templi *Isiaci* Pompeiis erecti: ut patet ex altera Inscriptione paullo post examinanda. 7. TRIS, דרש DRS aliquanto durius TRS: *quaesiverunt*, *investigarunt*. 8. TAA, תאה TAE TAA *definierunt*, determinarunt. 9. MENTUD, D Paragogico ablato, MENTU, N nasali subtracta, et T emollita erit Radix מדד MDD, מד MD *metiti* sunt, *mensi* sunt, iusta *mensura* definiverunt. *Metior* autem Latinorum *mensura mensus* ab eodem Semitico מדד MDD sunt derivata. 10. DEDED, DEDE a דוד DUD *amice*, *pacifice*. 11 EISAK: ipsum Semiticum עשק OSQ EISAK *lites*, *iurgia*, *contentiones* Vicinorum, proximorum, quorum aedes, muri, parietes, cubicula coniuncta proxima *Templo Isiaco*. Nam et servitutes, et parietes communes, et semitae, et iura inspiciendi, aedificandi, obstruendi, occludendi lumina, et alia plurima huiusmodi erant necessario agnoscenda, examinanda, componenda, amovenda. 12. EITIUBAD, EITIUBA, עתיב OTIB EITIUB *arguerunt*, redarguerunt, refutarunt, infirmarunt, removerunt, composuerunt.

V. B. BIINIKIES MR. KUAISSTUR PUMPAIIANS TRIIBUM EKAK KUMBEN NIEIS TANCINUD UPSANNAM DEDED ISIDUM PRUPHATTED.

Haec eidem Tabulae lapideae, de qua modo loquuti sumus, adscripta, iidemque literati viri ediderunt, quos laudavimus. Guarinius vero in TRIIBUM EKAK *Tertio denique* inveniebat: in KUMBENNIEIZ *Decurionum Decreto;* in TANCINUD sensit ταγγειν: in UPZANNAM *ipsissimam ipsammet*; et tandem in IZIDUM, non aliorum *somnia mera* ISIDI pag. 17. sed *idem eadem idem* est complexus: quam eruditionem probavit Avellinius, et Oscam Isidem ex Templo Isiaco Pompeiano profligarunt, illam ipsam, quam sex *Dissertationibus* nostris in Academia Herculanensi per decennium perlectis, et penitus neglectis, Patribus nostris notam ostendere adlaboravimus. Nos autem hac secunda Inscriptionis parte singularum partium *Templi Isiaci Pompeiani* agnitionem aliis et propriis Magistratibus Pompeianis peractam et solemnem dedicationem ab omnibus factam *Deae Isidi* contineri putamus: et ideo vertimus: *Dominus Aedilis*, *Dominus Quaestor Pompeiani duplicem Aram, Aediculam, duplicem Caveam, Conclavia, Triclinium, Arulas lubenti animo unà simul Isidi persolverunt.* Nam: 1. B. *Bel Dominus.* 2. BIINIKIES, nempe BIINI-KIES vox facta ex בנה BNE BINE *aedes domus aedificium*, et KIES כסס KSS כוס KUS KES *supputare, calculare, aestimare*, quod faciunt modo nostri *Architecti*, et faciebant olim Romae *Aediles.* At vox *Osca* BIINIKIES *aedium calculator*, *aestimator* praestat Latino *Aedili*: quo significatur tantum *Il-Aed*: *Al-aed*, *ad Aedes.* 3. MR. MAR מר MR etiam *Dominus*, vox pariter honoris et dignitatis etiammodo apud Syros receptissima. Quae autem honoris et dignitatis differentia fuisset Pompeiis inter BEL et MAR modo ignotum: etsi dubitari hinc non possit honoratiorem fuisse BEL

pro MAR. 4. KUAISSTUR est ipsum *Quaestor* Romanorum, non a Latino *quaero* foede corruptum, sed profunda, et scitissima ratione a Patribus nostris *Oscis* olim conditum, et deinceps a Romanis adoptatum. Nam KUAISSTUR fit a קו QU KU *notare, adnotare*, et אצר ATZR AISTR *thesaurum, pecuniam collectam, reconditam.* Tum a KUAISSTUR: Nempe a כסס KSS כוס KUS *calculare supputare*, et שתר STR STUR *residua, reliquias* vectigalium tributorum redituum: quin si STUR potest etiam duci a שתר STR *servare* abscondere *custodire, Quaestor* est etiam qui *calculat supputat, custodit* ac *servat pecuniam* publicam. 5. PUMPAIANS, *Pompeiani.* 6. TRIIBUM TRII-BUM, ipsum במה-תרי TRI-BME, *duplicem aram*: תרי TRI *duo duplicem*: במה BME BUM βωμον Graecis *aram altare*: Atqui *duae* magnae *Arae* imo *duo altaria* adhuc in Templo Isiaco manent et supersunt. 7. EKAK; *Aediculam*, Σηχον, ut vidimus supra pag. 84. 85. Scilicet Conclave חוק CUK EKAK *clausum septum* קוח KUC ECAK, quo Simulacra et Symbola Deae continebantur, et servabantur, et ad quod per חוק CVQ sive EKAK per *gradus* et per *scalam Ekak* Sacerdos, et religiosus vir perveniebat: Haec autem *Aedicula*, penetrale, Σηχος, EKAK cum *gradibus* suis et *scala* fere integra adhuc manet in Templo, estque pars centralis et insignior Templi Isiaci. 8. KUMBEN: חבה CBE, חיב CIB CUB, et nasali litera insertâ CUMB CUMBE: unde Graecorum et Latinorum *Cymbe, Cymbia*, et absque nasali litera Latinorum *Cavea* sinus Crypta, conclave subterraneum. Vocabulo autem KUMBEN non una *cavea* et hypogaeum designatur, sed *duplex* respondens Chaldaico חיבין, vel חבין CBIN. Et omnino in Templo *Isiaco Pompeiano duo* adhuc *conclavia hypogaea* sunt: unum quod *Favissam* Templi potes appellare, et ob structuram et ob aquaę rivulum, quo rigatur: alterum ad arca-

nos et mysticos ritus ut videtur destinatum, et septo Hypergaeo clausum et munitum. 9. NIEIS NIEIS, sive נוה-איש NUE-AIS: *aedes domus cella hominum*: Scilicet Ministrorum Templi, Neocororum, *Aedituorum*, qui custodire, servare, adstare quotidie tenebantur: atqui in Templo *Isiaco Pompeiano* etiam modo istae NIE-IS, *cellae Aedituorum* discernuntur, inventaque olim in prima effossione plurima argumenta vitae domesticae, et reliquiae ciborum quotidianorum. 10. TANCINUD TANCINU TANCI-NU: Nempe NU-TANCI. Atqui NU NUE est נוה NUE *domus*, *Aedes*, *Conclave*, TANCI, et ablata nasali, TACI est ipsum תכה TKE *accumbere discumbere epulari*. Adeout TACI-NU TANCINUD sit *Aedes Convivii*, *Conclave epularum*, *Triclinium*. Haec autem vox TACI, TANCI, TKE תכה TKE in sensu *epulandi*, *discumbendi*, praeter plures Tribus Semitoglossorum servarunt *Persae* vetustissimi fratres *Oscorum* in TUK, et ex Latinis Scriptoribus servavit Petronius Arbiter in *Satyr*. cap. 34. pag. 191. et cap. 73. p. 472. scribens: *Faciamus Tangomenas usque ad lucem*: ubi *vox* quidem significat non Triclinium et Conclave Epularum, sed ipsas Epulas, quia non dictum *Tancinu*, sed *Tango-menas*, nempe מני MNI, MENA, *tributio*, *series*, ordo, repetitio, *Convivii* et *epularum*. Haec autem vox TANCINU est *Oscorum* Idiomatica, ac propria et frequenter in *Oscis* Inscriptionibus, ut videbimus, occurrit. In Templo Isiaco Pompeiano amplum et insigne *Triclinium*, sive TANCINUD adhuc modo conspici omnes norunt, qui aedes illas examinarunt et considerarunt. 11. UPSANNAM: sive AM-UPSAN. Atqui AM עם OM Semitoglossis *Oscis* iure et recte significavit *numerum*, *pluralitatem*: Quamobrem si UPSAN, בסינא UPSINA ut vidimus supra pag. 85. est *Arula thymiaterium*, UPSANNAM erunt *plures arulae*, plura thymiateria, ut aequum erat esse in celebri Templo.

Atqui adhuc modo in Templo *Isiaco Pompeiano* supersunt indicia et argumenta *Arularum* hic illic positarum, quibus in Deae honorem odoramenta saepe incendi possent: Scilicet possumus adhuc indicare loca aliquot *Oscorum* UPSANNAM. 12. DEDED DEDE דוד DUD, *amanter, lubenter.* 13. ISIDUM, UM-ISID UM OM עם OM unâ *simul coniuncti, unanimes* ISID *Isidi* Deae magnae Pompeianae. 14. PRUPHATTED: *persolverunt, addixerunt*, consecrarunt. Pag. 83.85.

VI. S.... PURIES.... AISST....M PARAKI.. ..ANCIN... AAMAN APH....

1. Ex abrupto Marmore Pompeiano edita haec in *Mus. Borb.* Tom.VII. pag.19. ad finem. Postrema verba ...ANCIN. ..AAMAN APH... recte ibi Avellinius restituebat TANCINUD AAMAN APHPHED. Ex quibus verbis superius pag. 82. 83 explicatis, et ex voce KUAISSTUR, sive *Quaestore*, quod certo et explorate colligitur ex fragmento ...AISST... palam est agi de publico et magno opere, quod Magistratus Civitatis faciundum curassent. Quod publicum opus ego arbitror fuisse magnas *Thermas Pompeianas*, *Balneum publicum;* de quo pluribus agit de Iorio in *Plan de Pompei* pag. 79. 80. etc. Nam PURIES Semitoglossis פרש PRS est *Strator, Cubicularius*, et haberi potest ut *Praefectus Balneorum*. 2. PARAKI est ipsum Chaldaicum ברכה BRKE PARAKE *lavacrum, balneum, lacus, stagnum*. 3. TANCINU est quidem *Conclave Epularum*, sed quod longe opportune additur etiam *Balneis* et *Thermis*. Nam quaedam *Ciborum refectio* vel necessaria, vel admodum utilis et opportuna pluribus, qui *Balneis* utuntur.

VII. EKSUK AMVIANUD EITUNS ANTER TIURRI XII INIBEI SARINU PUPH PHAAMAT MR. AADIRIIS. B.

Haec olim rubris literis adscripta fuerunt Parieti Pompeiano, eaque modo leguntur edita in *Dissert. Isagog.* Tab. III. pag. 39. 40. apud de Iorio in *Plan. de Pompei* Tab. IV. pag. 225 et Guarinium *Comm.* XI. pag. 24. 25. literis hybridis, et qui in suo ANVIANUD videbat *ambitu*; in INI. VEI. ZARINU, *Caesareum:* in PUPH. PHAAMAT, *Publ. Phamea:* in suo MR. AAKIRIIZ. *Meddix Acerranus.* Nos autem arbitramur in hac inscriptione agi de Aquarum *Sarnensium deductione* in Urbem Pompeiorum facta ab ipsis *fontibus Sarni* per XII. *Substructiones*, et per congruos et convenientes *Canales* usque ad mare. Quamobrem sic vertimus: *Ut venirent aquarum effluxus ex fontibus ad publicam utilitatem coercuit XII. Turribus fontes Sarni, et effodit Canales dominus Censor. Vale.* Nam 1. EKSUK EK-SUK fit ab EK EIK היך EIK *venire*, *advenire*, *decurrere.* 2. SUK est ipsum שוק SUK *irrigare*, *effluere*, *fluxus*, *effluxus* aquarum. 3. AMVIANUD, AMVIANU est AM-VIANU ipsum Semiticum מ-עין, M-OIN, ore Pelasgico prolatum AM-VIANU *ex fontibus*, ex ipsa prima scaturigine, עין OIN, ore Pelasgico VOIN, VIANU, מ est AM ex עין OIN *fonte*, *scaturigine aquarum.* 4. EITUNS, EIT-UNS, vox facta ab EIT, ipsum עת OT EIT *opportune*, *commode*, *utiliter*: et UNS ANS אנש ANS אנס ANS *hominibus*, *Civibus*, ad publicum commodum, ad utilitatem communem. 5. ANTER ipsum נצר NTZR, suavius NTR ANTER *munire*, *communire*, *praecingere.* 6. TIURRI XII a צור TZUR, et reiecta litera aspera TURRI nempe *munimentis*, *munitionibus*, substructionibus, sepimentis, non propriis et veris *Turribus*, quas modo vocamus. 7. INIBEI *fontes*, *scaturigines*, fluvii: vel a נבע NBO NBEI INIBEI *fluxus*, *effluxus*

scaturigo; vel a עין-בוא OIN-BUA; עין OIN *fons*, *fluxus*, *effluxus aquarum*, בוא BUA *veniens*, *exiens*, *egrediens*. 8. SARINU: ipse *Sarnus* fluvius Campaniae late celebris, et cuius aquae etiam modo *Pompeiorum* Urbem rigant et dividunt. 9. PUPH est PI-UPH, PI est ב B, פי PI, nempe *ibi*, eo loco, UPH ipsum Arabicum ופי UPHI *addidit*, *adiecit*, *adiunxit*. 10. PHAAMAT ipsum פעמת PHOMT PHAAMAT *effossiones*, *excavationes*, *canales*. 11. MR MAR מר MR *Dominus* Titulus honoris et dignitatis ut iam monuimus. 13. AADIRIIS: vox homiodynamica superiori AADIRANS pag. 85. 86. non inde foede corrupta. Nam AADIRIIS fit ex AADIR et IIS: est עדר ODR *ordinans censens*, IIS איש AIS *homines cives*, est *Censor*. De aquis autem Sarnensibus et Pompeianis plura opportune disseruit Canon. de Iorio in *Plan.* de *Pompei* pag. 214. ad 225. Et haec indicavit W. Gell in *Pompeiana* Tom. II. pag. 206. 207. London 1832. quos si lubet vide.

VIII. PHLUUSAI.

Hoc Vocabulum insculptum est *Arulae* pedali Pompeiis inventae, et quae modo servatur in hoc Regio Museo. Avellinius Tom. VII. *Mus. Borbon.* pag. 17 putavit Oscum hoc PHLUUSAI esse corruptionem Latinae et Sabinae Vocis FLORAE: Ut contra Guarinius *Comm.* XIII. pag. 21. 22. fecit PLUUSA, quasi *Pluviosa*, quod probet qui vult. Tum FLORA Pompeianorum vel erat PRUKINEA Herculanensium, de qua dicemus paulo post, vel cum reliquis *Oscis* FERONIA, vel si FLORA cum Romanis et Sabinis, non certe PHILUUSAI, nisi per calumniosam corruptionem. Nobis vero *Arula* ista est *Arula auguralis*, arula super qua posito igne et granis thuris vel foliis certarum et sacrarum Plantarum, ut *Lauri*, *Verbenae*, etc. ex fumo, ex crepitu, aliisque phaenomenis colligebantur *auguria*: quae πυρομαντικα, καπνομαντικα dicebantur. *Arulae* autem istae erant ita

parvae, ut possent in omnia cubicula facile gestari, et ad Simulacra Deorum adponi. Vox autem PHLUUSAI sive PHLU-USAI fit ab USAI שועא, SUOA, SUAI *lapide saxo petra ara*, et פלל PHLL, פל PHL *augurari*, *ominari*, *auguria ducere*, unde ipse magnus APOLLO. Adeoque PHLU-USAI est *auguralis lapis*, Arula *πυρομαντικα*, et *καπνομαντικα* Pompeiani Civis, ut ex.gr. illae de quibus disseruit Viscontius in Oper. Var. Tom. I. pag. 143. 144. etc.

CAPUT II.

Inscriptiones Herculanenses.

I HERENTATE IS SUM.

Haec in medio Mensae lapideae eleganter elaboratae, olim Herculanei inventae, modo in Regio Museo adservatae inscripta sunt: Qua mensa non victimae imponi et comburi potuerunt, sed tantum varia ciborum genera, liba, placentae, fructus maturi, quorum succi poterant in vas subiectum per opportunum canaliculum in eadem mensa paratum delabi, et recipi. Passerius autem in *Symbol. Gorian. Florent.* I. p. 207. vertebat haec verba: *Iunonalis sum*: Mazochius in *Add. Voss.* in *Tuticus*: *Mensa constituta.* Lanzius *Saggio* III. pag. 608. 609. *Sacerdotalis sum*, quia Oscum HEREN ei fuit ιερη, et SUM *sum* Latinum. Rosinius in *Diss. Isag.* pag. 37. 38. *Ferculum sum*. Drummondius in *Iournal Classical*. 1810. 3. 4. *Expurgatoria sum*. Guarinius tandem vertebat *Veneris sum*, *Herentaten* Oscam *Venerem* faciens. Nos contra persuasi in hac et sequenti Inscriptione agi de magno et profundo Mysterio *Proserpinae*, quam longe magis, quam Graeci coluerunt *Osci* nostri plurimis nominibus appellantes, ideo Inscriptionem propositam vertimus: *Placentarum Mensa Hominum ieiunantium.* Nam. 1. HERENTATE sive HEREN-TATE; non ab אדן ADN ADEN, *fulcro, basi* cum Mazochio deducimus, quia heterophona:

sed a Semitico חרון HRUN HEREN *Placentae, liba*, quae obtinentur חרה HERE *igne coctione*. Tum חרון, HERUN HEREN est *tristitia, afflictio, dolor*: et *Proserpina* est Dea *infelix aerumnosa eiecta* exsul, ut pluribus in *Pantheo Etrusco* ostendimus, et hîc agi de *Ieiunio* solemni putamus. TATE vero factum est a duplicatione vocis תא TA *thalamo tabulato tabula mensa*. 2. IS איש AIS IS *Hominum Civium*. 3. SUM a צום TZUM suavius SUM *ieiunare ieiunium peragere*. Scilicet tenendum est per stata tempora omnes Religiosos Homines Herculanenses voluntario ieiunio quae in cibum suum insumere debebant *placentas, liba*, *horaeos fructus* super hac Mensa imposuisse in honorem *Deae*, et ibi ea reliquisse usque ad corruptionem aliquam, ut dicetur paulo post. Nec dubitamus in hac *Mensa* Herculanensi posse nos adhuc intueri *Mensam* illam *Gad* et *Meni*, et *Achad-Achari* positam et constitutam, de qua Propheta Hebraeus Isaias agit Cap. LXVI. quod illustrare plurimi Interpretes certatim adlaboraverunt, et de quo et nos aliquando egimus in *Tentam. Hermen. Generali* pag. 289. 290. pluribus in *Pantheo Etrusco* Pag. 144.-153. 185.-189. de hac ipsa *Proserpina* iam adnotatis.

II. L. SLABIIS L. AUKIL MEDDISS TUVTIKS HERENTATEN PRUKINAI PRUPHPHED.

Haec adscripta labio huius ipsius Mensae lapideae, de qua modo loquuti sumus: eaque ediderunt iidem docti viri, quos paullo supra citavimus. Mazochius pag. 741. 742. vertebat: *L. Slabius Laukil meddix Tuticus Mensam Rucinae posuit*. Passerius pag. 209. 210. *L. Slabius. L. Aukilius Mediastutici Iunonali Praepositi Custodes proferunt*. 3. Rosinius pag. 39. *L. Slabes*, *L. Aquil Meddix-Tutici sacram mensam Erycinae proferunt*. 4. Lanzius pag. 609. 610. *L. Labeo Lucilius medistuticus Sacerdote Procinio donum dat*. 5. Tandem Guarinius pag. 23. *L. Slabius C.F. Aquil. Meddix summus*

Veneri Erycinae donum dedit. Nos vero vertimus: *L. Slabius. L. Aukil Duumviri Iuridicundo Placentarum Mensam Proserpinae persolverunt.* Nam: 1. L. SLABIIS est L. Slabius nempe *Lucius*, quia Iovem ipsi Osci dicebant *Lucetium*, et quidem a *Luce*, ut vidimus p. 72. 73. 2. L. AUKIL, nempe *Lucius Aukilius.* 3. MEDDISS cum duplici s ad pluralem numerum indicandum, scilicet *Meddices*: ipsi *Duumviri Iuri dicundo.* 4. TUVTIKS *Tutici*, nempe fecit uterque *Duumvir Iuridicundo*, una coniuncti, unus et alter ex *Duumviris.* 5. HERENTATEN: HE-REN-TATE-EN, scilicet *Placentarum Mensam hanc*, EN הן EN est saepe *haec*, *ista*, quam conspicis. 6. PRUKINAI: Mazochius *loc. cit.* legebat tantum RUKINAI, et nescio quam *Deam Runcinam*, et *runcationes* proferebat: Rosinius falso legebat HE-RUKINAI, et *Venerem Erycinam* in *Osca* voce agnoscebat. At legendum esse PRUKINAI attenta Ectyporum consideratio suasit, et firmarunt Passerius, Lanzius, Finatius, qui PRUKINAI non aliter legerunt. Hoc autem esse nomen *Proserpinae* Herculanensis certo arbitror, eamque pluribus sigillis et signis circa haec loca inventis exhiberi puto. Nomen autem PRUKINAI, nempe PRUK-INAI vel PRUKI-NAI factum solita veterum Sacerdotum sollertia aio; nempe a פרח PRC PRUK PRUCI *flore floribus germinibus floridis*: et נאה NAE NAI *pulcher formosus* venustus; quae *Proserpinae Oscae* plane congrua. Nam haec est FLORA Sabinorum, haec *Flora* Romanorum, non illa tenuis obscura Scriptorum, sed illa maxima, cui Circus amplissimus et Ludi magni dicati. Haec *Hebe* Herculis, haec iterum *Iuventa* et *Iuventus* florentissima Romanorum, haec *Feronia Oscorum* fere omnium, et Etruscorum, quae a Dionysio Halicar. Archaeologo longe doctissimo libro III. pag. 173. dicitur egregie ἀνθηφόρος, *florifera*, et φιλοςέφανος: quia ista esset mythica *Persephone.* Quin פרוכי PRUKI, פירוכי PIRUKI sunt *Manipuli*

Cereales, sunt *Spicae*, est *frumentum* area tusum, quae *Proserpinae* prorsus propria: et quoniam Proserpina *Dea aerumnosa*, cuius facultas foecundatrix et productiva exsilio facta infirmior et fracta gravissime: ideo dicitur PRUK-INAI, nempe פרוך PRUK *flores*, *manipuli*, *fructus*, ינה INE INAI *oppressi*, *imminuti*, fertilitas ablata: qui characteres *Proserpinae* proprii, et intimi, ut ex parte iam adnotavimus in *Pantheo Etrusco* pag. 144.150.186. 7. PRU-PHPHED: loco PRU-APHPHED, vel potius PRU-PHDE, ut diximus supra pag. 82. 83. nempe פרע PRO, vel ברר BRR PURE Latinorum, פדה PHDE *solvit*, *persolvit*, *consecravit*; imo solverunt, persolverunt. quia sunt duo *Meddicss Tuvtics*; et lingua indeclinata, et fere amorpha, ut iam adnotatum pag. 49. 50.

III. MITL METNS MH PHML UPS.

Haec sunt insculpta in fronte *Fulcri* lapidei striati in pedem Leonis desinentis: quod *Fulcrum* spectasse ad ipsam hanc *Mensam Herculanensem*, de qua modo diximus, tum ex perfecta proportione et relatione mutua, tum ex similitudine Artificii, tum ex identitate Scripturae certo tenendum arbitror. Huiusmodi autem *Fulcrum* servatur modo in Museo Spinellio Principis Sancti Georgii, Academiae Herculanensis Socii. Edidit Guarinius Inscriptionem *Comment.* XII. pag. 34. 35. literis hybridis, et de more ipsas suas Lectiones depravans. Nam idem ipsi est MK et MD; PHM et PHAC: Et hinc in suo MDMZ invenit *Mars*; in MIH *me*, in PHAC pro PHM *faxe* vel *faxue* ἀπὸ *faxuo*; in LUPZ *Lupus*: et vertit *Mutulum Martis me fecit Lupus.* Nos contra arbitramur his *Oscis* verbis contineri monitum et praeceptum *Famulis sacris*, qui adesse *Mensae* necessario cogebantur, et ministrare ex officio, ut *Placentas*, *liba*, *fructus*, qui *putrescerent* removerent, et tollerent. Nam omnino hoc quasi *Holocaustum Proserpinae* oblatum habendum est, quo

Pompeiani tum ieiunio suo, tum oblatione *Placentarum* Deae placerent. Quamobrem vertimus; *Cumulos observent, expurgent Famuli putrescentia.* Nam MITL est מ-תלה M-TLE *res suspensae elevatae pendentes*; Imo *cumulus tumulus* acervus. Fuit et Etruscis MATUL, ut vidimus in *Tentam. Hermen.* p. 205. 207. et *Telamo* Romanis, immo ipsum *Mutulus.* 2. METNS est ex Chaldaico מתן MTN *expectare praestolari* attendere morari; s addita ab *Oscis* est, ut signum pluralis numeri. 3. MH ipsum מחה MHE MH, *purgare expurgare purificare.* 4. PHML ipsum Oscum FAMEL, et inde Latinum FAMULI, ut vidimus supra pag. 70. 71. 5. UPS ipsum Semiticum עבש OBS OPS, vel עפש Osco ore *Uphonico Ups putrescentia marcida corrupta.*

CAPUT III.

Inscriptiones Nolanae atque Abellanae.

I. PAAKUL MULUKIIS MARAI MEDDIS DECETASIS ARACETUD MULTAS.

Haec insculpta Cippo lapideo Nolano, qui modo in ipso Nolano Seminario servatur. Edita vero haec a Passerio et Remondinio in *Dissert. su d' una Iscriz. Osca.* n. 3. pag. 53. a Lanzio *Saggio.* III. pag. 609. 610. Grossio *ne' Volsci* pag. 166. 167. etc. etc Passerius habuit lapidem, ut Epistylium alicuius magnae Aedis; Remondinius, ut *Aram,* quia falso pro ARACETUD legebat ARAVETUR; et pro DECETASIS legebat AREVETASIS. Lanzius colligebat: *Paculus Mulutius Maratius Meddix .... multas.* Guarinius in *Divinat. Cipp. Osci* pag. 23. priora fere ut Lanzius, reliqua: *a decimis Quaestor multarum.* Ego contra arbitror non agi de Persona *Eponyma*, etsi primum Vocabulum PAAKUL possit haberi ut Nomen *Familiae* Campanae clarissimae, et quam ipse Livius *libr.* XXXIX. cap. 8. pag. 201.

ann. 565. memoravit; Nam Praenomen deest, et Cognomen, nec Inscriptio potest haberi funebris; vel publico alicui Operi peracto praefixa. Quamobrem ego potius teneo *Inscriptione* hac indicari Magistratus Nolanos statuendis et excutiendis *Multis* publice constitutos; tum *Aedem* et Palatium, quo hi Magistratus cogerentur, et Populus adesse deberet, ut *Multas* persolveret, et ius audiret. Et ideo verterem: *Orator publicus*, *Rector*, *Doctor*, *Meddix damnantes*, et *absolventes a Multis* (hic adeundi). 1. PAAKUL mihi vel est a פהה PEE PHE *decretum* sententiam, et קול QOL קאל KAL *dictans* edicens, iubens: vel a בעה-קול BOE-KUL, BOE-KUL *loquens disserens de petitionibus*, *postulationibus*. 2. MULUKIIS IS-MULUKI: IS איש AIS *homo vir*, מלך MLK MULUKI *rector*, regens. 3. MARAI a מר MR *Doctor*, *praeceptor*, *docens*, 4. MEDDIS, MEDDIX Vox superius explicata. 3. DECETASIS, DECETAS-IS DECETAS est ipsum Arabicum דחץ DCTZ ore Italico et vocalico prolatum DECETAZI DECETASI, *qui damnat condemnat*, plectit, IS איש AIS *homines cives*: Haec eadem vox in Lucano vel Appulo ore est DICUST, ut dicemus loco suo. 6. ARACETUD est ipsum ירחץ IRCTZ IRACETUZ IRACETUD ARACETUD, qui *absolvit*, qui *remittit*, qui *aufert*, qui *liberat a poena*. 6. MULTAS, vox solemnis et *stata*, de qua diximus pag. 74. 75. Poena civilis, ad quam imponendam, auferendam, transmutandam, percipiendam, colligendam, servandam, adhibendam plures *Magistratus* erant necessarii, et summae erat utilitatis, ut in certam et statam Aedem, quam per certam *Inscriptionem*, ut ea est de qua agimus, distinguerent et noscerent, omnes colligerentur.

II. ...UMEI SPEL VENNIS NIU MSIE ISKN.. .. NERKENS CAABIS PERKE KNI.... MEDDIS DECETASIS ARAGET.....

Haec insculpta Cippo Nolano, qui modo servatur in hoc Regio Museo, et qui certe olim alicui magnae Aedi infixus fuit. Indicata tantum fuerunt in *Dissert. Isagog.* pag. 37. et a Finatio *R. Mus. Borbon.* Tom. III. I. pag. XIII. Edidit vero Raoul-Rochette in *Monum. inedit.* Tab. LXIII. Guarinius *Commen.* XI. p. 31. 32. qui in suo NAUMZIEIZ vidit *Sacerdos* vel *aeditimus*: in suo DEKETAZIUZ *decimas*, in ARAKE suo *Aram hanc*. Nos autem putamus hanc Inscriptionem esse unam ex *Oscis* characteristicis, atque eâ indicari Opera publica Nolae facta ad communem utilitatem a Magistratibus Nolanis ex perceptione *Multarum*. Et ideo vertimus: ....*Populo Campum amoenum, Porticus, Conclavia, Candelabra, Mensas, Piscinam adquisivit Iudex praefectus ad imponendas et exigendas multas*. Nam: 1. UMEI, ut nobis esse legendum visum est, alii enim legunt aliter: UMEI est ab עם OM אם AM *Populus Cives*. 2. SPEL ipsum שפל SPL *Campus, locus planus,* depressus ad festa celebranda et ad Populi oblectamenta opportunus: Haec vox etiam Etrusca, ut vidimus in *Tent. Hermen. Etrusco* p. 231. 3. VENNIS: Vocem putamus factam ab הון EUN Digammate vere nostro Pelasgico addito VEUNN *utilis, commodus bonus amoenus*, IS *est*, vel יש IS *ens*, ab *esse*, vel איש AIS, *hominibus*. Forsan *Campi* Siculi *Ennenses* Cereris et Proserpinae Deliciae mythicae ab eadem Radice facti. 4. NIU, ut Vox Pompeiana NIEIS a נוה NUE *domus habitaculum Conclave*. 5. MSIE ipsum משיא MSIA *ambulacra*, semitae ad amoenas et faciles ambulationes. Quod si coniungimus NIU-MSIE habebimus *ambulacra* tecta, ambulacra aedificata, nempe *Porticus*, *Ambulacra porticata*, quod nisi fallimur, magis opportunum et

probabile, maxime ob ea quae sequuntur. 6. ISKN ipsum שכן SKN ISKN *conclavia cubicula habitacula*, in quibus scilicet possent requiescere ex itinere ambulatione Cives et se reficere et instaurare. 7. NERKENS: NER-KENS; hanc vocem arbitror factam a נהר NER *luce*, *lumine*, *lampade*, face; et כנס KNS *collectio*, *congregatio*, *numerus*. Scilicet puto indicari Candelabra polylychna opportuna ad praebendam ingentem lucem collectae multitudini. 8. KABIS KAAB-IS *Mensas*, et quidem, ut arbitror, rotundas et disciformes, ut Populus liberius accederet, et eis uteretur; כעבה KOBE, ipsum KAABE, est Arabibus *Mensa*: et si ex una parte *Cubus* videtur ex hac radice factus, certum כעבה KOBE *circuitionem* et rem *circularem* significari. IS pluralem numerum, ut Etruscis significat. 9. PERKE ipsum ברכה BRKE PRKE *Piscina Lavacrum Balneum*. De *Piscina* autem et Vivario aliquo ad *ambulantium* oblectamentum parato, hîc agi putarem, non de *Thermis* et *Balneis* publicis: quae nisi per ingentia impendia extrui non possunt, et sunt clarius et distinctius describenda. 10. KNE ipsum קנה QNE KNE *acquisivit comparavit emit*. 11. MEDDIS, Magistratus notus. 12. DECETASIS ARACETUD MULTAS, ut Inscriptionem mutilam supplendam esse facile ex antedictis quisque videt et sentit. Scilicet Magistratus ille, qui praepositus fuerat ad imponendas et exigendas *mulctas* tantam pecuniae vim spatio, ut videtur, aliquot annorum collegit, ut in publicum usum potuerit comparare 1. Campum. 2. Porticus, vel ambulacra utcumque commoda. 3. Conclavia. 4. Candelabra. 5. Mensas, et 6. Piscinam.

III. MAR MESA IELE MICEL.

Haec Stilo ferreo exarata leguntur in fundo Paterae Nolanae nigerrimo encausto tinctae, et quae olim in *Museo Spinellio* adservabatur. Edidit unus, quem sciam Guarinius *Comm.* XI. pag. 35. 36. modo suo. Nam legit MAD MEZ AEL MI KEL, et vertit: *Mars Aelianus sum dictus.* Nos vero putamus hac Inscriptione Dominum ipsum Paterae indicari; et ideo vertimus: *Dominus Maesius possidet hoc Vas.* Nam 1. MAR est Syrum מר MR MAR *dominus herus.* 2. MESA; Nomen huius *Domini*, et omnino Gentis Campanae clarae probabiliter *Maesiae.* 3. IELE est ipsum ילה ILE IELE *habere possidere*; Quin Arabibus est יאל IAL IEL *Dominus, Princeps.* 4. MI מי MI, מה ME, ut Etruscis, quemadmodum vidimus in *Tentam. Etrusco* pag. 126. 128. *hoc istud.* 5. KEL est כלי KLI כיל KIL *Vas Patera Scyphus*: quin totum MICEL potest esse *Vas*, *Scyphus*, quod praeclara eruditione probavit Lemoyne ad *Varia Sacra* pag. 325–330.

IV. MAMERCES HUZI NIES.

Haec leguntur in fundo Paterae Nolanae, etiam Stilo ferreo exarata. Patera adservabatur in eodem *Museo Spinellio*. Inscriptionem edidit Guarinius *Comm.* IX. pag. 31. 32. modo suo. Legit MAMER. CEZ. HURRINIES. Et vertit; *Mars Terminalis.* Nos etiam in hac Inscriptione agi putamus de Domino *Paterae*, et ideo vertimus: *Mamercus possidet Pateram.* Nam: 1. MAMERCES est nomen, nisi praenomen *Oscum* factum a *Marte*, quem *Mamertem* Osci dicebant. Vide pag. 73. 2. HUZI est ipsum Arabum חז HUZ האז HAZ *habet possidet.* 3. NIEZ est ipsum נזה NZE *Vas patera*, et proprie *libationis adspersionis*, *sparsionis*, quia נזה NZE est proprie *spargere adspergere.*

V. MI AITILNIA.

Haec inscripta Stilo ferreo in fundo Paterae, quae servatur in Seminario Nolano. Edidit Lanzius *Saggio* Tom. III. pag. 608. habuitque ut Nomen Figuli, quod quantum scimus stilo ferreo numquam inscriptum et indicatum. Ideo nos contra arbitramur hoc Lemmate contineri monitum, ut qui ea *Patera* ad bibendum uterentur parcissime biberent. Inquit enim Monitor sive Mentor iste: *Hac hebetatur Mens*. Nam: 1. MI est *hac*, ista Patera. 2. AITIL est ipsum עטל OTHL, vel עצל OTZL AITIL *hebetatur*, *obtunditur*, *turbatur*. 3. NIA ipsum ניה NIE *mens*, *voluntas*, *animus*.

VI. MAIS BESI MAIIN TREM.

Haec inscripta in Cippo lapideo Abellano, qui modo in Seminario Nolano adservatur. Ediderunt Passerius et Remondinius in *Dissert.* pag. 50. 51. Lanzius *Saggio* T. III. pag. 607. et Guarinius in *Divinat. Osco-Abell.* pag. 47. 48. Quae qui vult probet: Ego autem Inscriptionem habens funebrem verto: *Maesii Vesii Domus separata*. Nam 1. MAIS BESI esse *Maesii Vesii* cum aliis Interpretibus nemo poterit iure dubitare. 2. MAIIN est מ-עון M-OUN M-AIN *habitaculum domicilium*. 3. TREM ipsum תרם TRM *separatum*, *segregatum*, divisum; qua voce egregie, mea sententia, ab homine *Osco* indicatur *Sepulcrum* proprium et peculiare.

VII. EKKUMA
TRIIBALAK..UM
LIIMITU...LA ..RU...
HEREKLEIS PHIISNU MEFHI
IST EHTRAD PHEIHUSS PU
HEREKLEIS PHIISSNAM AMPH
ETPERT BIAM PUSSTIS
PAI IPISI PUSTIN SLACII
SENATEIS SUBEIS TANCI-
NUD TRIPHARAKAVUM LI
KITUB...INIM IUK TRIBA
RAKKIUPH PAM NUFLANUS
TRIPHARACAT TUSET NAM
VITTIUPH NUFLANU MESTUE
EKKUM SVAIAD ABELLANUS
TRIBARAKAT TUSET IUK TRI
BARAKAKKIUPH NAM VITTIUPH
ABELLANU METSAUD AHT...
PUST PHEIHUS PUSPUS PHISNAM AM
PHRET EISEI TEREI NEP ABEL
LANUS NEP NUFLANUS PDUN
TRIBARAKAT TINSS AVT THE
SAURUM PUD EISEI TEREIISS
AUN PATENS ASMUNACAD T...
INUD PATENS ASIIM PDI
THESAUREI PUKKAPHEE...
...ITTUMAVT TRAMAVIT
IRRIAS AFT ANTER SLACCI
ABELLANAM INIM NUFLANAM
ULLAD FIVURUPHU ISPERU
ISAI EAI MEPHIAI TEREMEN
IUSTAIET.

Haec insculpta sunt in prima facie magni Cippi lapidei inventi in ruderibus Urbis *Abellae*, et qui modo adservatur in Seminario Nolano. Est et altera facies Cippi pariter inscripta, sed quia male luxata et diffracta est, eam aliis interpretandam reliquimus.

Primus autem qui hoc insigne Monumentum Linguae et Scripturae Oscae legere atque illustrare adgressus est, fuit Ioh. Stephanus Remondinius Genuensis circa ann. 1750 hinc anno 1752. I. B. Passerius cultor tum maximus et celeberrimus veterum Linguarum Italicarum in Tom. II. *Actor. Societat. Columbar. Florentinae* edidit, et versionem *Cippi* tentavit: Anno 1760. idem Remondinius veteribus novis suis, veteribus et novis lucubrationibus Passerii collectis et collatis hunc Lapidem illustrare adlaboravit. Accessit tertio Passerius ann. 1774. et in Tomo III. suarum *Picturarum* ex *Vasculis* edidit tertio, et Commentarium Latinum addidit. Edidit deinceps Lanzius in *Saggio* III. pag. 612. 614. primam tantum partem et literis Latinis, ut nos, et contentus probasse fundamenta Interpretationis Passerii pauca de more attigit et explicavit. Nuperrime tandem Raymundus Guarinius *Cippum Osco-Abellanum*, ut appellavit, Opusculo 87. paginarum edidit et illustravit. Quorum Interpretum Versiones qui vult ex editis libellis petat. Nam laboris fuisset inepti eas hic referre, diversas mutuo, et adversas ex unis Latinis vel Graecis Vocibus depravatis collectas. Satius proponere nostra. Nam arbitramur in Nolana atque Abellana Inscriptione agi de Iuridica et solemni agnitione et tutela *Templi*, *Praediorum*, et *Agrorum* cultui *Herculis* dicatorum, quae duo Populi *Nolanus* et *Abellanus* communi impendio, cura, religione sacrassent, et procurare, ac colere in posterum decrevissent. Videtur profecto mos plane *Oscus* et valde laudabilis ex Asia ductus non Aediculam tantum Deo sacrare, sed pascua, agros, praedia, rura adiicere: ex quorum reditibus tum victimae et hostiae eucharisticae et statae desumerentur, tum *Epulae* sacrae et *Convivia Tribulia*, et *Feriae* solemnes Populorum consanguineorum et adfinium splen-

dide celebrarentur. Quum igitur duo Populi illustres Campani *Nolanus* et *Abellanus*, circa locum, quo *Cippus* inscriptus inventus est, ingens plane et amplissimum *Fanum* sive Τεμενος *Herculi Campano* sacrassent quo et Conclavia et Aediculae et Praedia, et Pascua essent: Summam quarumdam legum et praeceptorum, et foederum inde natorum hac Inscriptione omnibus notam facere studuerunt: Sic enim faciem Cippi propositam vertimus:

Comitii Duarum Civitatum decretum. De Herculis Fano et Praediis hic positis.

Herculis Fana hic posita, ornamenta, aras, vela auro ornata, pulvinaria, pateras, pelves, sellas, coenaculum Populus duarum Civitatum accipit fauste.

Graviter moneat Duplex-Praeco-legum, ut singuli Nolani Cives obediant iussis Censoris Nolani ex Decretis-Comitii: Simili modo Abellanus Civis obediat monitis Duplicis-Praeconis-Legum, et dictis Censoris Abellani ex Decretis scriptis (in Comitio).

Hic posita Praedia, singulas partes Fanorum, ornamenta servent custodiant tum Abellanus, tum Nolanus liber Civis, Conclavia, Aedes, Thesaurum summa cura servent, custodiant, Statuas, Pateras, Cados olei, Coenaculum, Cupas expiationum, servent Thesaurum perpetuo clausum... ..aedem fructuum perfectorum, aedem primitivorum. Insuper curent vias Populi Abellani et Populi Nolani. Domum Proventuum copiosorum, frumenti servent congruenter ex salutaribus et puris secundum praecepta prudentiae. Nam:

1. EKKUMA EK-KUMA EK-GUMA, quia *Oscis* non fuit G. EK est היך EIK *itio, ambulatio, itus;* GUMA גמע GMO *coetus, congregatio*, concilium conventus et ipsum prorsus *comitium* Romanorum factum ex

ipsis radicibus, quod si loco גמע GMO placeat satius עם OM *unà simul* עמה OME COME *Populus, turba, Plebis conventus* idem est. 2. TRIBALAK.. UM: vel melius ut alii TRIPHALAK: Nempe TRI-PHALACUM, UM עם OM *Populi*, תרי TRI *duarum* פלכ PLK BLK *regionum* locorum, nempe Nolanorum et Abellanorum, qui semper et constantissime sunt TRI *duo*, non tres. 3. LIIMITU paulo suavius LIMIDU למד LMD *documentum, iussum, scitum*, et hic prorsus *Plebiscitum*. 4. LA...RU. voces fractae; Sed sensus postulat *de, circum, quoad*: 5. HEREKLEIS; ipsum *Herculis*, et plane certo; ut omnes Interpretes recte agnoverunt, praeter unum Guarinium, qui omnibus *Diis* infensus, non tantum hunc *Herculem* expunxit, sed *Isidem* Pompeianam, in *idem, eadem idem* transformavit, et *Lucinam Oscam* eiecit etc.etc. 6. PHIISNU; haec lectio probabilior, Guarinius in Tabula dedit; PHINS.... in libro p. 28. PHIISNAM, et arbitramur PHIISNU esse vetus Latinorum *Fasnum*, quod recentiores dixerunt *Fanum*, ut ex *Casmilla Camilla*, ex *Casmoena Camoena*, non contra, et putamus *Fanum* esse genericum nomen Loci sacri, alicui Deo tributi et adsignati ex Praediis, ex Lucis, Fontibus, ex Pascuis, ex Agris, et Aedibus constante; quae certe originalis vis *Fani Latini*: *Oscum* autem PHIISNU videtur factum a PHIS פיסא PHISA *parte, portione, sorte*, a פצא PHTZA *spatio, loco*, campo; vel a פסא PHSA *Vallo loco* munito: Et a NU נוה *habitaculo, sede* opportuna. 7. MEPHI, non MEPHUST, ut dedit Guarinius, MEPHI, *quae* hic, *quae* hoc loco, hac sede posita sunt: ME, *quae* Idiomatice, PHI פי PHI *hic hoc loco*. 8. IST ipsum שות SUT IST sunt *posita*. 9. EHTRAD EHTRA eiecto D Paragogico HETRA ipsum חצר HTSR, HTR *Praedia, Villas, rura*. 10. PHEIHUSS ipsum פחצ PHHTZ PHEHTS, *agros, campos, pascua*. 11. PU פי PHI *hic, hoc loco*. 12. HEREKLEIS PHIISNAM:

Herculis Fana AM-PHIISNA. AM עם OM signum pluralis numeri, PHIISNU Fana scilicet, loca consecrata *Herculi*; aedes, luci, pascua, arva, praedia, haec sunt *Osca* PHIISNAM. 13. AMPH ipsum MEPH, MEPHI *quae hic, hoc loco* posita sunt. 14. ETPERT, TEPERT ipsum ת-פארת T-PART *ornamenta*, *ornatus*, *decora*, a פאר PAR, פארת PART. 15. BIAM a במה BME, unde ipsum Graecorum βωμ-ος *altaria aras*, suggestus sacrificales. 16. PUSSTIS a פשט PSTH PUST, quia non fuit *Oscis* TH, vel בסט BSTH Arabibus *extendere expandere*: unde בסאת BSAT PSAT PUST *aulaea tapetia velamina linteamina*. 17. PAI Syris פאא PAA *ornamenta*, *ornatus*, *decora*. 18. IPISI IPIZI a פז PZ IPIZI *auri*, ex *auro*, aurea. 19. PUSTIN ipsum פסדין PUSDIN *Pulvinaria, cervicalia*, *culcitras*, quibus lectisternia ornare, et Triclinia, et Conclavia insternere opus erat. 20. SLACI est a צלח TZLC suavius *Osce* SLC SLAC *pateras*, *patinas*, *patellas* sacrificales libatorias epulares. 21. SENATEIS est a צנת TZNT SENATE suavius plenius et plurali numero SENATES *Vasa* capacitatis magnae, *pelves*, *catinos*, *scutellas*. Hae quidem a Syris et Palaestinis dicuntur צנ-צנת TZN-TZNT; sed quisque videt hanc vocem non esse radicem, et repetitione factam. 22. SUBEIS est SUBE-IS, IS-SUBE ipsum ישב ISB *sedere*, *adsidere*, *Subeis*, sunt *Sellae*, *Sedilia*, certe ingenti numero, pro duplici Populo, Latinis priscis dicebantur ex eadem radice *Esopia* et *Sesopia*, Festo Auctore. 23. TANCINUD, TANCINU *Aedem conclave* Tricliniare, quo solemnes et sacrae *Epulae* habebantur, a הכה TKE *discumbere*, accumbere, ut iam superius diximus. 24. TRIPHARAKIUM: nempe UM-TRI-PHARAK, UM עם OM עמה OME *Populus*, *Gens*; TRI תרי TRI, *bis* in duas partes, in duas civitates PHARAK פרכ PHRK *divisus*, *separatus*, scilicet *Nolani* atque *Abellani*. 25. LIKITUB, LIKITUB. LIKI, לחק LCQ, et contracte LIKI, *appre-*

hendit, *accipit*, occupat, adsumit: TUB, TOB טוב THOB *bene*, *fauste*, *feliciter*. 26. INIM arbitror esse a נמה NME, NIME *augumentum*, *incrementum*, unde *nimium* Latinorum; et explicarem *Insuper*, *praeterea*, *ad haec*. 27. IUK ipsum יִקֶה IQE IKE, IUKE *moneat admoneat*. 28. TRIBARAKIUPH, TRIBARAK-IUPH, scilicet *Duplex–Praeco–Legum*. Nam תרי TRI *duo duplex*, BARAK ipsum ברח BRIC ipsum *Praeco*, quasi *Breco* Latinorum, qui *nuntiat*, *promulgat*, *indicit leges*, *iussa*, *decreta*, sive עפ OPH IUPH ore *Osco mores*, *instituta* consuetudines leges Gentis. 29. PAM פעם POM proprie *ictus*, *pulsatio vices* repetitae, Metaphorice *singuli*, *singulae* omnes, quicumque, unusquisque. 30. NUFLANUS, NUFLA-NUS אנש ANS vel נאם NAS *homo vir* ex NUFLA, נעל NOL, NÓL, *Nola*. 31. TRIPHARAKAT, ut plures legunt, Guarinius dedit TRIBALAKAT, legerem TRI-BARA-KAT. Si TRI–PHARAK–AT est *Nolanus* AT את *ad*, *spectans*, nempe *Civis ad* TRI *duas*, PHARAK, פרק PHRQ *divisiones partes Gentis*: quod hactenus saepius repetitum. Si est TRI–BALAK–AT est *Civis ad duas regiones spectans*: Si TRI–BARA-KAT, est *Nolanus* spectans *ad* כת KT *coetum societatem Civitatem*, TRI *duplicis*, ברה BRE *pacti*, *foederis*: quia *duae Civitates* mutuo consenserant et convenerant. 32. TUSET TSUET צות TZUT TUSET *obediat*, *obtemperet*, *audiat*. 33. NAM ipsum נאם NAM *dicere loqui*, *dictis iussis monitis*. 34. VITTIUPH est ab עתיב OTIB ore Pelasgico VUTIPH, VITTIUPH *Inquisitoris*, *Correctoris*, qui *vindex* legum, *Censor*: est ipse EITIUBA Pompeianorum, et EITVA Lucanorum. 35. NUFLANU NU–FLA, NU נוה NUE *Urbis–Nolae*. 36. MESTUE ME–TSUE, מ-צוה M-TZUE, *ex* TSUE צוה TZUE *iussis decretis*. 37. EKKUM EKKUM *Comitii* generalis; *Conventus* generalis utriusque Civitatis iam indicati: Scilicet decreto *Comitii* creati *Duo–praecones–legis*, qui universam legem

indicerent, et explicarent Civibus, ut ita possent omnes obedire facile et prompte iussis Censorum, qui ex lege iubebant. 38. SVAIAD SVAIA ipsum שוא SVA SVAA *aequaliter*, *aequali modo*. 39. ABELLANUS, NUS-ABELLA, NUS NAS נאם NAS *Homo ex Abella*. 40. TRIBARAKAT, TRI-BARA-KAT *spectans ad coetum societatem duplicis foederis*. 41. TUSET, צות TZUT *obediat*, *obtemperet*. 42. IUK יקה IQE IUKE *monitis praeceptis*. 43. TRI-BARAKK-IUPH nempe ברח-עף-תרי, TRI-BRK-OPH *Duplicis Praeconis Legum*. 44. NAM נאם NAM *dictis praeceptis iussis*. 45. VITTI-UPH עתיב OTIB *Censoris*, Vindicis, *Inquisitoris*. 46. ABELLANU, NU-ABELLA *Urbis*, *Civitatis Abellae*. 47. METSAUD, ME-TSAU, ME מ M *ex*, *e*, TSUB צוה TZUE *praeceptis*, *decretis*. 48. AHT... חטא CTHA AHT *signatis* scriptis. Hinc autem incipiunt aliquot *iussa* et *praecepta Comitii* generalis. 49. PUST, PI-UST, פי-שות PHI-SUT, *hic*, *hoc loco*, *posita*. 50. PHEIHUSS פחץ PHHTZ, *Praedia*, *Rura*, *Agros*. 51. PUS PUS פס פס PS PS *partes partes*, singulas partes, omnes portiones. 52. PHIISNAM, AM-PHIISNA *Fana*, *aedes*, et *Loca sacra* cuiuscumque naturae. 53 AMPHERT, AM-PHRET, עם OM *omnes*, פארת PHART *ornatus*, *ornamenta*. 54. EISI ישע ISO EISI *servent*, *custodiant*. 55. TEREI תור TUR pro שור SUR inspiciendo servent, tueantur, custodiant; attendant scilicet ne scelesti homines corrumpant, furentur, rapiant *Bona Deo Herculi* consecrata. 56. NEP N-EP N-אפ N-עפ OP *etiam*, *ita*, *insuper*. יפא IPA *adde adiunge* Oscus idiomatice addidit N. 57. ABELLANUS *Civis Abellae*. 58. NEP NUFLANUS etiam *pariter*, eodem modo *Civis Nolanus*. 59. PDUN non PRUN PDUN est a פדה PDE *redimere liberare* et פדן PDUN est *homo liber*, *ingenuus civis* non Servus, non Libertus. 60. TRI-BARA-KAT, qui consensit et voto suo ad *duplicis Civitatis foedus*, et *pactum* de *Fano Herculis* colendo, curando, cu-

stodiendo. 61. TINSS TIN-SS a תון TUN *conclave cubiculum habitaculum;* TINSS *Osce conclavia* plura, *habitacula omnia.* 62. ABT BAT BIT ביח BIT *Sedem, locum, domicilium.* 63. THESAURUM, MU-THESAUR. UM עם OM *Populi Gentis Thesauri*: vox adoptata ex Latinis: vel a טשא-אור THSA-AUR *abscondita condita, res lucida,* ut sunt metalla pretiosa, ex quibus sunt *Thesauri.* 64. PUD פוד PUD Arabibus פאיד PAID *utiliter, commode,* cum utilitate, auxilio. 65. ESEI ישע ISO *servent, custodiant.* 66. TEREI TUR תור TUR *tueantur observent.* 67. ISSAUN ציון TZIUN ISSAN *statuas Titulos.* 68. PATENS ipsum latinum PATINAS a פתא PATA *latus amplus patens.* 69. ASMUNAKAD. KADASMUN, KAD ipsum latinum *cados* כד KD *Vas magnum,* ASMUN ipsum שמן SMN *olei* adipis liquefacti ad lampades nutriendas, et alia plurima liturgica ministeria peragenda. 70. T....INUD dubio procul TANCINUD *Triclinium* Conclave convivale epularum sacrarum. 71. PATENS *Patinas Scutellas.* 72. ASIIM ipsum אשם ASIM *expiationum* ad expiationes purificationes liturgicas peragendas opportunas. 73. PDI פוד PUD *pretiosum utile commodum?* 74. THESAUREI *Thesaurum* Aerarium. 75. PUKKAHPHEE ... ut legendum secundum Ectypum Remondinii, nempe PUKKA-HPHEE. Sive בקא באקי BQA באקי BAQI PUKKA *firmiter permanenter.* 76. HPHE חפה *tectum obtectum, clausum.* 77.. ITTUMAVIT, si scriptum BITTUMAVIT legerem BITTUM-ABIT: Nempe בית BIT *conclave, aedes* תמם TMM *perfectorum maturorum* אבות ABUT *fructuum,* ex אבב contracte אב AB *fructus.* 78. TRAMAVIT, TRAMA-VIT, TRUMA תרומה TRUME *primitiarum fructuum primitivorum,* VIT BIT *Domus, Conclave.* 79. IRRIAS ipsum ירש IRS *propriorum, hereditariorum,* possessorum. 80. AFT אפת AFT ab אף APH *insuper etiam.* 81. ANTER, NATER NATZR נצר NTZR *tueantur custodiant.* 82. SLACCI

ipsum סלק SLQ SLK *vias semitas*. 83. ABELLANAM: AM-ABELLA, עם OM *Populi Civitatis Abellae*. 84. INIM נמה NME *insuper, ad haec*. 85. NUFLAN-AM AM עם OM *Populi, Civitatis Nolae*. 86. ULLAD, ULLA ולה ULE *Domini, Heri*, Possessores, qui habent. 87. FIVU-RUBU nempe בוא·רבה BUA-RBE, nempe בוא BUA BIVA *fructus, proventus* Telluris, רבה RBE RUBE *multos copiosos*. 88. ISPERU ISBERU שבר SBR ISBR *frumentum* annonam provisionem frumentariam ad maximas et solemnes Epulas utriusque Civitatis. 89. ISAI ישע ISO ISAI *servent custodiant, adservent*- 90. IEAI יאה IAI *congruenter, opportune* 91. MEPHIAI ME-PHIAI מ *e ex* ופעה UPHOE עופי OUPHI *bonis, salutaribus, perfectis*. 92. TERE טהר THER *puris, legitimis*, quae liturgice et Religiose permissa sint, non impuris, pollutis, vetitis. 93. MEN מנ MEN *ex e*. 94. IUSTAIET, IUSTA-IET יצה-יעץ ITZE-IOTZ ISTE-IOT, sive יצה ITZE *praeceptis monitis*, יעץ IOTZ *prudentiae, scientiae, intelligentiae*.

CAPUT III.

INSCRIPTIO CAPUANA, ET ALIA SATICULANA.

I. *Inscriptio Capuana*.

EKA TRISII MED. KAPUA SAKRA .. USE. E.. A ... MIIA N. SSIMAS.

Haec inscripta topho Capuano, et edita primum a Mazochio in *Act. Acad. Corton.* Tom. III. Tab. 2. pag. 39.-41. etc. in *Opuscul.* 1771. Tom. I. a Lanzio *Saggio*. III. pag. 608. a Grossio *ne' Volsci* I. pag. 166. literis latinis. Mazochius autem vertebat: *In die tertia Merkedonii Kapuae sacra . . .* Lanzius: Εν τρισι ημεραις. At ignota Festa, ignotorum Deorum, ab ignotis Sacerdotibus per Inscriptiones lapidarias non indicuntur. Nos autem arbitramur et in hac Inscriptione, ut in *Nolanâ* superius expositâ, saluberrimum *Oscorum* morem Posteritati

tradi, quo scilicet Magistratus Municipales ex *mulctatitio aere*, ut iudicare aequum est, opera aliqua ad publicam utilitatem et commodum peregerint et exsequi curaverint. Et ideo vertimus: *Vias direxit Meddix Capuae, Titulos erexit, addidit ad aquas Ulmos.* Nam: 1. EKA est ipsum הך EK היך EIK *ire venire*, ambulare, *via*, *iter*, Strata Viarum. 2. TRISII est תרץ TRTZ suavius TRS *dirigere explanare.* 3. MED. KAPUA: nempe *Meddix Capuae*, ut palam est. 4. SAKRA est a צחר TZCR SCR *lap...* *petra*; vel suavius a חגר CGR etiam *petra*, *saxum*, et a זכר ZCR *memoria*, *monumentum*: nempe *lapides titulares* ad distantias, limites, divisiones erectos et constitutos. 5. . USE. Lego NUSE a נסא NSA נסה NSE *erexit elevavit.* 6. E.A: Lego EPA, יפא IPA, ופה UPE *addidit*, *adiunxit.* 7. .... MIIA: Lego AL-MIIA nempe אל-מיא AL-MIA, ad *aquas*, ad *fluvium*, ad *Vulturnum*, ut credere par est. 8. N..SSIMAS, plane NESSIMAS, ipsum נשים NSIM *Populus*, vel *Ulmus*: arbores pulcherrimae ad *aquas* crescentes, et quae viam ambulantibus suavi umbrâ suâ gratissimam faciunt.

II. *Inscriptio Saticulana.*

BILAEIS VENULE SEKUL KTE NAZIM.

Haec in fundo Lancis vel *Paterae* Figlinae inventae in Agro *Saticulano* legi testatur Guarinius, qui unus adhuc, quod sciam, edidit et modo suo in *Comm.* XI. pag. 33. 34. Vertit autem: *Viliae Veneri ego huc sacra sim*: Quae quid sibi velint dicet, ut puto, alibi. Ego vero arbitror etiam in hac Inscriptione ferreo Stilo exaratâ agi de *Domino* vel Dominis *Paterae*, et ideo verto: *Domini Venulii Vase hoc libant.* Nam:

1. BILAEIS, BILA-EIS fit a BIL BILA בעל BOL בל BL *dominus*, *herus*; *possessor*, et EIS איש AIS *vir homo* Persona, vel secundum leges *Glossomorphes* tum *Oscae* tum *Etruscae* IS EIS est saepe Criterium

opportunum. Pluralis numeri: Ita ut si BIL BILE est *Dominus*, BILAEIS sint *Domini Heri* plures. 2. VENULE *Venaliam* Centem indicari puto. 3. SE ipsum זה ZE SE ore Osco *hoc*, *istud*. 4. KUL ipsum כלי KLI *Vas Calyx Scyphus*. 5. KTE arbitror esse צח CTZ CT *proprium peculiare*, et ideo dubio procul *hereditarium*, כאז CAZ CAT KTE est *possessio hereditaria*, *hereditate suscepia*. 6. NAZIM a נזה NZE NAZ *sparg re*, *adspergere*, *libare* IM עם OM unâ, plures: *libant plures*, *libant una*. Quamobrem minime dubito, quin haec *Venuliorum Patera*, si minus pretio et materia, usu tamen similis habenda sit *Paterae* Didonis Tyriae, de quâ canebat Virgilius Aen. I. v. 728. *Implevitque mero Pateram*, *quam Belus*, *et omnes* » *A Belo soliti*. » *Et in mensam Laticum libavit honorem* » *Primaque libato summo tenus attigit ore* ».

SECTIO II.

INSCRIPTIONES LUCANAE, APPULAE, MESSAPIAE, SALENTINAE, SICULAE.

CAPUT I.

Inscriptiones Lucanae, et Appulae.

I. *Inscriptio Anziensis.*

POOTVOL LOHOOMO SORO VOOM EINKA PIDIG OOMOKAHAS LEIKEI TKOO ACHEREEI LIOKA HEITSUA. AESO TBRAT OOM MEI AIAN.

Haec inscripta Graecis literis in Lapide triangulari invento in Oppido Lucano olim *Anxia* modo *Anzi* adpellato, ubi ingens Sepulcrorum numerus, et *Vasa Dramatograpta* plurima et pulcherrima eruta. Edidit primus et adhuc quod sciam unus Andreas Lombardius mihi in adolescentia coniunctissimus in *Mem. dell'Istituto Archeologico Romano* Tom. II. an. 1834. pag. 231. 237. nulla tamen additâ nec lectione nec interpretatione. Sed utcumque maximopere me iuvit

ex hoc tenui specimine diligentiam antiqui Lucani hominis deprehendere et mirari. Nam adnotandum quod 1. litera quam hîc per τo V expressimus est similis Beth ב Hebraico, et literae Tabularum Heracleensium Graecarum pag. 128. 129. atque *Oscae* et *Etruscae* receptissimae. 2. Quod expressimus per OO sive duplicem OO est Graecum Ω *Omega*. 3. nam Omicron expressimus per simplex O, et est O minimum, quod neglexímus: Sed indicabimus loco suo. 4. Literam, quae in Tabulis Graecis Heracleensibus frequenter occurrit, et de qua Mazochius plura disseruit ad has Tabulas pag. 126. 127. per H latinum significavimus, 5. Graecum H *eta* per duplicem E scripsimus.

Hâc autem Inscriptione plane unicâ in Oppido Sepulcris oppleto, nil omnibus consideratis probabilius contineri posse puto, quam publici *Necropolii* Patria *Epigraphe*: quia *Osce* loqui ad *Oscum Populum* plane congruum. Ideoque vertimus: *Aedes ad Corporum reliquias Populi* EINCA *appellati. Primores Populi occupent medium, extrema occupabunt tenuiores. Servat reliquias Populi haec Aedes.* Nam:

1. POOT, BOOT est ipsum בית BIT, BOIT *domus*, *aedes* omnibus Semitoglossis. 2. VOL pronuntiatione Pelasgica est Semiticum אל vel על OL *ad supra*. 3. LOHOOMO primum et postremum O minima: Ideo mihi persuasum vocem originalem esse לחום LHOM *Osce* per minimum O expressa vocali adhaerenti et necessaria, per Ω adspirata labiali *Vu Vo*: *corpora cadavera*. 4. SORO ipsum שאר SAR שיר SIR *reliquiae residua*. 5. VOOM OOM ipsum עם OM addito Digammate: *Populi*, *Gentis*, *Civitatis*. 6. EINKA Nomen ipsum Populi, sive *Oppidi*, quod modo dicitur *Anzi*, dubio procul *Osco* ore EINCIA: Unde factum EINZIA hinc ANZI: Nec puto obstare K Graecum: Nam: Κεραυνος non *Keraunos* efferimus, sed *Ceraunos* ex vetustissima, et dubio procul genuina traditione. 7. FIDIG

*

Postrema litera haud satis certa, potest haberi T aliquantum imminutum. Si primum erit a ברח BDC, *laetus, formosus*; si alterum erit בראת BDAT ברת BIDIT *dictus, nominatus*. 8. OOMO: iterum עם OM *Populi, Civitatis*. 9. KAHAS AS-KAH, scilicet איש AIS AS *Viri Homines*, כח KUH KAH *potentes divites Primores*. 10. LEIKEI est a Semitico לחק LCQ LHQ *accipere, occupare;* Lucani ח *Chet* in diphthongum immutarunt, quam literam alii plurimi ut vocalem literam habuerunt. 11. TKOO ipsum תוך TOK *medium media pars, centrum*. 12. ACHEREEI, ACHER EEI. nempe אחר-י ACHR-AI: AI, *Sedes loca*, אחר, ACR *posteriora, remotiora*. 13. LIOKA vel est variatio superioris LEIKEI, ut latinis ex. gr. *occupant*, et *occupabunt*, et fiet adeo ex eodem לחק LCQ LHQ; vel subaudita iterum voce LEIKEI alterum LIOKA erit a להק LEQ, LEIK *turba, coetus, plebs*, nempe. 14. HEITSUA ipsum חצין HITZO Pelasgice HTSUO *humiliores, tenuiores, minores*. 15. AESO vel ab ישע, ISO ISOA *custodit, servat*: vel ab Arabico עשא OSA AESO tegit, *contegit, abscondit*. 16. TBRAT *Reliquias*, a תבר TBR, Hebraeis שבר, שברת SBRT TBRT *reliquiae, fragmenta*: Vox funebris solemnis etiam Etruscis, ut patet ex nostro *Tentam. Hermen*. 17. OOM עם OM *Populi*. 18. MEI MI *hic* hoc loco, ut saepius dictum. 19. AIAN puto factum ab עון OUN, *habitaculo, aedificio, aede*.

II. *Inscriptio Venusina.*

HURT URTAI MED.... .PUN CLUPHII BIINUSIESS. NABU ATPERRA ...MARKUL PHAN... TESKA ATPUSNAI.

Hanc Inscriptionem ex lapide Venusino graviter luxato primus exscripsit circa ann. 1740 Baro Antoninus, qui totam Lucaniam nostram peculiari opere illustravit. Primus vero ex Schedis eius edidit in suo *Itiner. Venusino*. pag. 265. 266. Mich. Arch. Lupu-

lus ann. 1793. Hinc Antonini Nepos Franc. Mazzarella Farao in 2. edit. *Lucaniae* avunculi sui Tom. II. pag. 367. ann. 1797. Editorum uterque Interpretationem latinam et commentarium addidit: sed ita per omnia, ut Ectypum Inscriptionis, similia, ut alterutrum alterum exscripsisse fateare necesse est. Romanellius 1818 in *Antich. Topograph.* Tom. II. p. 191. 192. edidit tertio et prave ex Lupulo, nulla Mazzarellae mentione iniecta. Ego contra teneo re diutius considerata et stilo utriusque perspecto Mazzarellam tum Versionis tum Commentarii praecipuum Auctorem esse habendum. Vertunt autem sic: *Recte autem Iudices statuerunt Venusiae terminos a parte Markolis fanum, a parte postica loca augurio designata.* Quae certe falsa, etiam quia impossibile fines et terminos magnae Urbis tam imperfecte definiri et constitui.

Nos autem tenemus agi in hac Inscriptione de *Templo* posito et exornato a Venusinis *Deo Mercurio.* Ideoque vertimus: *Sacerdos hereditarius, Meddix .... Princeps Trapezitarum ..... Venusinorum* (Deo) *Nebo ornamenta, Hermas, Fanum, Campos adtribuerunt convenienter.* Nam:

1. HURT: Interpretes falso *Phurt.* Et putamus, respondere HERTI Tabularum Eugubinarum, in quibus esse nomen Sacerdotale et Fratriacum certum videtur: Probabile mihi est esse ex eadem Radice *τῶν* חרטמים CRTMIM Chaldaeorum et Aegyptiorum: Sed haec quaerere modo subtilius negatum est. 2. URTAI mihi est ab ירת IRT, URT Chaldaice pro ירש IRS *hereditare, hereditate possidere*: Scilicet *Sacerdos hereditarius*, ut Eteobutades Minervae Atheniensis, Eumolpidae Cereris Eleusiniae, imo ipsi *Ceryces Mercurii* Eleusine et Athenis etc. 3. MED... Interpretes legunt falso MET, sed recte explicant *Meddix.* 4. PUN a פנה PNE *primarius, dux*, primarius vir. 5. KLUPHII est a חלפ CLPH *permutare*,

mercari, *Trapezita*, *Nummularius*: Et plane opportune, quia de *Mercurio* agitur Mercatorum, et negotiorum Deo. 6. BHNUSIESSI BHNUSI-ESSI scilicet ESSI, AIS איש AIS *hominum Civium*: BHNUSI, *Venusiae*, *Venusinorum*. 7. NABU: non GABU, ut edidit uterque Interpres. Nam *Oscis* non fuit G, nec fuit ut Γ, sed lineola addita haec litera fuit N: Et NEBO fuit late celebris apud Assyrios, Chaldaeos, Moabitas, Palaestinos: Nomenque factum a Radice נבי NBI *praedicere* prophetare: Vide Seldenum de *Diis Syriae* Syntagm. II. cap. 12. pag. 265. 266. Beyerum in *Ad lit.* p. 333. 334 et Vossium de *Idol.* libr. II. cap. 2. p. 129. 130. etc. Hunc autem NABO sive NEBO esse ANUBIN Aegyptiorum, *Hermetem* Hellenum ex parte, et *Mercurium* Latinorum, ut etiam Faunum, de quo canebat Virgilius Aeneid. VII. v. 81. *At Rex sollicitus monstris Oracula Fauni* » *Fatidici genitoris adit* »: plura certo evincunt. 8. ATPERRA, postposita vocali TAPERRA ipsum ת-פארה TPARE *ornatus, ornamenta*, αγαλματα V. p.108.110. 9. MARKUL: Uterque Interpres habet hanc vocem ut ipsum *Mercurii* Nomen Mazochii auctoritate victi, qui in *Addit.* Voss. pag. 439. in *Mercurius*; etymon Nominis huius a מרקולים MRQULIS Rabinorum derivabat: At מרקולים MRQULIS non modo non est Radix Semitica, sed ignotae plane originis, adeo ut tenendum sit potius a Iudaeis nebulonibus detortum et depravatum cum aliis plurimis a vocabulo Latino MERCURIUS. Ego contra arbitror Osca voce MARKUL indicari tum *Hermas Mercuriales* et *viales*, tum *acervos Mercurii* sive Ερμαιους λοφους, de quibus peculiari Capite agit Seldenus de *Diis Syriae* Syntag. II. pag. 274 276. et Beyerus pag. 341. 342. Nam MARKUL est MARK-UL, UL-MARK, UL AL אל Ad מ-ארח M-ARK, *viam*, *iter*, Semitas ad quas vias tum Mercuriales *Acervi*, tum *Hermae* sive *Protomae Mercurii* statuebantur; de quibus

egerunt Sponius in *Miscell. Erud. Antiq.* et Otto de *Diis vialibus*. pag. 93. 94. 165. 164. etc. 10. PHAN Uterque Interpres vertunt *Fanum*, et recte: Etsi Etymon Semiticum sit asperum: nisi malimus dicere quod vocem Romanam suaviorem PHANU, pro sua propria et indigena *Phasnu* vel *Phisnu*, quam servarunt *Nolani* et *Abellani* in Inscriptione Herculana, praetulerint, et adoptaverint. Vox autem FANU potest utcumque deduci a בנה BNE FNE *aede ae lificio*. 11. TÈSKA: Vox ista diu a Latinis servata, inter oblivia et vetera vocabula tandem reiecta fuit: sed ex illustri Varronis loco lib. VI. pag. 67. eius naturam possumus clare colligere, scilicet TESKA dici *loca agrestia* ac *deserta*, sed sancta, Diis *sacra* et *consecrata*. Etymon ducerem a שקק SKK *separare secernere*, ita ut ת·שק T-SK *Tesca* sint loca *divisa*, *separata*, Diis consecrata addicta, et usibus humanis exclusa, ut sunt TESKA; Similis potestas vocibus חרם CRM, et הרך TRK TURCE, ut vidimus in *Tentam. Etrusco.* 12. ATTUS ips um תפש TPS, ATPUS *comprehenderunt*, *accep ru it*, *addiderunt*. 13. NAI נוה NUE *aedi Fano Templo*, vel potius נאה NAE נאי NAI *decenter congruenter*.

III. *Excerpta ex Tabula Aenea Bantina.*

In Lucano oppido Acherontinae Dioecesis quod modo proprio nomine dicitur *Oppidum*, et olim Lucano ore dicebatur *Opizois*, et Chaldaice OPIDOIS, ut ex hac eadem Tabulâ colligimus, circa an. 1792. inventa fuit Tabula aenea duorum ferme palmorum latitudinis, et longitudinis tum superius, tum inferius effracta et disrupta, literis latinis in utraque facie descripta et exarata: et prima quidem facie vocibus etiam Latinis, iisque saepe aliquantum archaicis, illis scilicet, quae VII urbis saeculo vigebant: At alterâ facie sonat haec Tabula sermone *Osco*, eoque aspero et obscuro, ita ut hoc *Oscum* Monumentum prae ceteris adhuc notis sit explicatu diffi-

cillimum, spectans non ad Lucanos, qui pura et simplici Lingua sua Arcadica, vel potius Noachica utebantur, sed ad Lucanos-Appulos bilingues, quos noscebat et indicabat Horatius Flaccus Venusinus ipse Lucanus-Appulus: qui scilicet Populi non erant *bilingues*, quod duas linguas diversas callerent, ut imperite veteres Interpretes autumant: Sed quod unâ et simul miscerent *duas linguas* originis et formationis diversae, nempe *Oscam* et *Latinam*, ut faciunt modo Angli in Europa *Teutonicam* et *Romaicam* unâ miscentes. Hinc factum, ut in hoc *Osco* hybridismo exsurgeret *Glossomorpha* saepe indefinibilis, et quae cuicumque futuro Interpreti Crucem figet valde asperam. Hanc autem Tabulam *Oscam* primus edidit Caietanus Marinius *ne' Fratelli Arvali* 1795. Tom. II. pag. 569. 570. Sed literis Typographicis non Ectypo, et nulla illustratione adiecta. Ediderunt deinceps Academici Herculanenses in *Dissert. Isagog.* 1797. accurâto Ectypo tantum *Tabulae sermonem Volscum* appellantes. pag. 39. 40. Hinc P. Paullinus a S. Bartholomaeo in *Dissert.* de *Latini serm. origine* 1802. pag. 8. 9. nonnulla excerpsit, et cum vocibus parvae Tabulae *Volscae Veliternae*, de qua et nos agemus paullo post loco suo, contulit et comparavit, nulla interpretatione adiecta. Raym. Guarinius ex Ectypo Academiae Herculanensis ann. 1820 iterum edidit Commentario paginarum plusquam 60 augens in. V. suo Comm. singulis vocibus alphabetico ordine dispositis, et per homiophonias Latinas, Graecasque examinatis. Tandem nuperrime Henricus Franchinius Neapolitanus in *Giornal. Arcadic. Roman.* Tom. 83 pag. 303. 328. simili methodo, sed dissimili versione edidit. Labore irrito: Non modo quia lingua *Osca* non Latina nec Graeca. V. pag. 52. 64. Sed etiam quia in his difficillimis ausibus non disiectione et dissipatione vocabulorum, sed coniunctione et synthesi possumus, si datur, proficere.

Egomet autem omnium primum puto agi hac in *Tabula* de more illo *Oscorum* Idiocthnico et characteristico, quem indicavimus pag. 10. et quo sive quotannis, sive per Cyclos Chronicos Populi Homophyli collecti et congregati ad *Fanum* alicuius Dei Patrii unâ et amicissime epulabantur.

Plures autem fuisse Civitates quae ad has *Ferias* et *Convivia* tribulia convenirent aeque certum: etsi numerum earum accurate definire difficillimum sit. Erant certe *Bantini*, *Vers.* 20. 28. 2. Erant *Oppidenses*, qui Vers. 25. dicuntur recte OPEIZOIS, nempe IS-OPEIZO, Chaldaico ore IS-OPEIDO, AIS *Homines Oppidi*. 3. Erant certe *Gensanenses*, quos dixeris clare designatos *Vers.* 20. 21. etc. 4. ut recte olim coniiciebat Fr. Carellius, et perperam negabat Guarinius pag. 139. 4. Contra non fuisse *Sansenses* certo tenendum; quia *Sansae* Oppidum plane dissitum et remotum: et si *Vers.* 20. legitur in Tab. *Sansae* quisque videt factum id levissimo Scripturae errore, et legendum *Bansae*, ut facile ipse Guarinius videre poterat pag. 173.

Haec autem *Convivia Tribulia* sive *Feriae Oscae* quum magni essent impendii, et operosae sollicitudinis plena, pluribus legibus, edictis, statutis egebant, ut magnifice, decore, et tranquille celebrarentur. Et maxime quoad mensuram et rationem *Vectigalium* imponendorum, et exigendorum, et saepius *Osco* more per *mulctas:* De quibus *Vectigalibus* potissimum in hac *Tabula* agi arbitror: et ideo plures sive Magistratus sive administri Tribunalium *Oscorum* noscuntur. Nam occurrit 1. MEDDIX, et MEDDIX MOLTAUM. 3. et FORTIS MEDDIX. 4. et VALAEMON TOVTICOM, et 5. EITVAS, qui est ipse Pompeianus EITIUBA, et Nolanus VITTIUPH. etc. etc. Hinc quae videntur insigniora seligimus et vertimus.

Vers. 3. DEIVAST MAIMAS CARNES SENATEIS TANCIN. . . . *Vectigales viscerationes*, *carnes annales Convivii.* Nam: 1. DEIVAST DEIV-AST factum

arbitror a דהב DEB DEV DEIV *vectigal tributum*, et AST שות SUT VST *positum*, *impositum*: quod est *vectigal*. 2. MAIMAS AS-MAIMA מעים MOIM MAIM *viscera*, *organa* animalium interna, quae pectore potissimum clauduntur: US יש IS *res substantiae*, et pluralis numeri signum. 3. CARNEIS vox Latina *carnes*. 4 SENATEIS duco a שנה SNE שנתא SNTA SENATA *Annus*, *annuus*, *annalis*; Ita ut *Carnes senateis* sint vel animalium natorum in *Anno*, quasi *Vere sacro*: vel *Convivii annualis* nempe debitae in *Anni* spatio. 5. TANCI... dubio procul TANCI-NU *Convivii*, *Epularum*, ut superius saepe explicatum: Sed hic non sumitur pro Aede et conclavi *Convivii*, pro *Triclinio*, sed pro *Conventu*, et Congregatione Conviviali, quo etiam sensu NU, NUE, נוה NUE נהה NEE, unde pars Vocis fit, etiam recte et proprie sumitur.

Vers. 4. COMPARASCUSTER SUAEPIS PERTE MUST: *Distributor Pagi Tribulis*, *Fructuum Collector*. 1. COMPARASCUSTER, COM-PARAS-CUSTER fit a COM עם OM *cum*, *una*: vel *Populo*, PARAS פרש PRS *dividens tribuens*, et CUSTER קצר QIZR, *caedens abscindens*: Scilicet *divisor*, *distributor ciborum* in Convivio solemni, ut videtur. 2. SUAE-PIS, quae vocabula dividi mutuo non debent: Nam SUAE est a שואץ SUAO *Pago*, *Oppido*, et PIS est פס PS *Tribus Sors*, *Pars Tribulis*, portio Gentis, in Pago פס PS *divisa* et tributa: unde ipsae Romanorum *Tribus*. 3. PERTEMUST. Puto factum a פירות PIRUT PERTE *fructus*, ut pluribus Semitoglossis, et מצא MTZA, MUST *parare*, *comparare*, *adquirere*. Nempe *collector exactor fructuum* vectigalium a Familiis Tribulibus.

Vers. 5. DEIVATUO SIPUS COMONEI PERUM DOLOM MALLOM: *Vectigal impositum scelere communi vero dolo malo*. 1. DEIVATUO est דהב-תוה DEB-TUE, *vectigal* DEB, תוה TUE *designatum*, *definitum*. 2. SIPUS

ipsum ספס SPS *scelus*, *nefas*, *peccatum*. 3. COMONEI Videtur vox Latina, vel Latinis et Oscis communis: *Sipus comonei* arbitror esse *Scelus* a toto vel fere toto *Pago*, *Civitate*, admisso ad defraudandum, imminuendum *vectigal* impositum in Generali *Comitio*. 4. PERUM non arbitror esse corruptionem particulae Latinae *Per*; sed respondere voci Chaldaicae ברם BRM, sive ipsi Latino *verum berum perum*, non ficte, falso, sed *vere*. 5. DOLOM MALLOM Voces Latinae, sed Osce, ut probabile est compositae, scilicet DOLOM MALOM est mihi OM-DOL OM-MAL עם *cum*, *cum dolo malo*.

Vers. 6. AMNUD PANPIEI SUMBRATEIS AUTI CADEIS AMNUD INIM: *Veridice declarent fructus totius annonae*, *opportune sancte veridice exponant*. 1. AMNUD AMNU אמן *vere*, *veridice*, *fideliter*. 2. PAN BAN בן BIN BAIN Arabibus *declarare*, *manifestare*. 3. PIEI BIÉI בוא BUA *fructus*, *proventus*, *bona*. 4. SUMBRATEIS a שבר SER שברת SBRT, et additâ terminatione Oscâ *sumbrateis frumentum*, *annonam universam*, alimenta omnia. 5. AUTI עתי OTI AUTI *opportune*, *tempore proprio*. 5. CADEIS קדש QDS KDS *sancte*, pure, absque mendacio. 7. AMNUD אמן *veridice* fideliter. 8. INIM נאם NAM *dicant*, *referant*, ut secundum *Plutarchum Oscam vectigal* imponeretur, de qua diximus pag. 13. aequum et iustum.

Vers. 7. TANCINUD MAIMAS CARNLIS PERTUMUM PIEI EX COMONO PERTEM...... *ad Convivium Viscera*, *carnes*, *fructus quosvis et proventus ex communi Penu* conferant. 1. TANCINUD, ut iam saepius dictum *Epulae*, *Convivium*. 2. MAIMAS CARNEIS, *Viscera*, et *carnes*, ut dictum pag. 22. 3. PERTUMUM est PERTU-MUM, sive פרות PRUT *fructus* producta Arborum potissimum, MUM מאם MAM, מאום MAUM *quidquid*, *aliquid*, *omnes fructus*. 4. PIEI בוא BUA PUIA *proventus*, quod gignit annus

quisquis fructus arborum, pecorum, etc. 5. Ex COMONI Voces Latinae et ex parte dubio procul *Oscae* Comono sive Oscum sive Latinum fit ab עם OM, *Como*, *turbae*, *populi*, unâ simul, et נוה NUE *habitatio*, *sedes*, *locus*. 6. PERTEMEIN, ut lego, PERTE-MEIN פירות PIRUT et מ-עון, M-OUN *Conclave*, *Aedes*, *Penus*, quo *fructus* PERTU servantur.

Vers. 10. DEICUM POD VALAEMOM TOUTICOM TADAIT EZVMNED. *Inspector Populi initio*, *Seniores Populi*, *legum Monitores celeriter*, *et opportuno tempore*. 1. DEICUM: DEIC-UM דיקא DIKA *Inspector Corrector* עם OM Um *Populi*. 2. POD בד BD *initio primus*. 3. VALAEMOM VALA-EMOM a בלה BLE VALE *senescere*, *senes*, *antiqui*: EM עם *plures*, *multi*, עם OM *Populi*, *Gentis*. 4. TOUTICOM TOUT-IC-OM OM עם OM *Populum* IC יקה IQE IKE *monens admonens*: TOUT דעת DOT *legum*, *praeceptorum*; Scilicet Senatores, et saltem *Seniores*, *Doctores*, *Iurisperiti*, *Iurisprudentes Populi*. 5. TADAIT TAD-AIT, TAD תוד Arabibus תאיד TAID *prompte celeriter festine* AIT עת OT *opportuno tempore convenienti*. 6. EZUMNE ipsum זמן ZMN EZUMNE *tempus temporis*, certum statutum.

Vers. 12. IN SUAE PIS IONC FORTIS MEDDIS MOLTAUM HEREST AMPERT..... *In pagis Tribulibus imponat primus Meddix multas studiose ex fructibus*...... 1. IN SUAE-PIS: *In Pagis Tribus*, ut vidimus supra 2. IONC ipsum ינח INC IONC *imponere imperare*. 3. FORTIS; non sensu Romano, sed Graecorum φερτατος, *princeps*, *praecipuus*, a פר PHR פרת PHRT. 4. MEDDIS MOLTAUM *Magistratus* praepositus ad imponendas et statuendas *mulctas*. 5. HERST ipsum חרץ HRTZ HRST *sollicitus studiosus* attentus. 6. AMPERT AM-PERT AM מ *ex de* PERT פרות PRUT *fructibus*.

Vers. 13. EITVAS MOLTAUM LICITUD: *Vindex multarum multas colligat*, *et capiat*. 1. EITVAS

est AS-EITV *homo* nempe איש AIS עתב EITV pag. 87.109. *Corrector*, *Vindex*, *exactor* poenarum, et adeo *exactor mulctarum*. 2. MOLTAS, MOLTAOM; *mulctas*, OM *populi*, *omnes*, singulas *mulctas*. 3. LICITUD LICITU לקח LKC LICI, et לקחת LKCT LKCT LICIT *capiat colligat*.

Vers. 14. 15. EITVAS....ZICOLOM DICUST IZIC COMONONI HIPIDNE: *Exactor Mulctarum Siclos damnatorum adunet in commune Aerarium*. 1. EITVAS *Exactor mulctarum*. 2. ZICOLOM, vel ab hebraico שקלים SQLIM, vel a שקל-עם SQL-OM, si OM *Oscis* signum pluralis numeri. Qui *Zicolom* sunt *Sicli* genus *monetae* apud Orientales celeberrimae, et de qua egerunt plures, quorum partem citavit Fabricius in *Bibliograph. Antiquar.* pag. 788. 2. DICUST ipsum דדוץ DCTS DICUST *damnare condemnare*, nempe *Sikli damnationis*, *poenae*, *mulctae*, qui colligendi erant ex imposita *damnatione*: Hoc DICUST in ore Campani erat DEKETASIS. Vid.pag.100. 107. 3. 4. IZIC IZIG ZUG זג ZUG *adsociet*, *adiungat*, *adunet*. 5. COMONONI *communi* publico totius Gentis a COMO עם OM *Populi Gentis* et עון OUN *habitaculum conclave*, *sedes*. 6. HIPIDNE HIPID-NE, NE נוה NUE *aedes Conclave* HIPID HIPITH חפט HPTH, HPD *servans custodiens* Siclos collectos, unde diximus *Aerarium*. 7. SUAE-PIS, *Pagorum Gentis*, quibus unum HIPIDNE COMONE *unum aerarium*, vel potius unum *Penum* commune.

Vers. 18. ZICOLOM XXX NESIMUM COMONOM NIHIPID SUAEPIS. *Sikli triginta argentei communis Aerarii Pagani*. 1. ZICOLOM שקלים SKLIM *sicli* XXX. 2. NESIMUM NE-SIM-UM UM est מ M, *e ex*: SIM est ipsum Syrum סימא SIMA *argentum argenti*. NE est נאי NAI *bonum probatum*. 3. COMONOM NIHIPID SUAEPIS: *Ex communi Aerario Pagi*. Nam *comonom* est *m-comono* מ M *e ex*: qui nempe *Sikli* collecti erant, et custoditi in *Conclavi* NI-HIPID,

ut supra HIPID-NE *Pagano Pagorum*, scilicet SUAE-PIS.

Vers. 18. 19. CONTRUD EXEIC FEFACUST IONC SUAEPIS HEREST MEDDIS MOLTAUM LICITUD AMPERT MISTR EISAETEIS EITVAS LICITUD. *Adversus querulos et contemtores imponat Paganis studiose Meddix mulctas, sumendas ex fructibus residuis Tribus, et aliis bonis: Exactor colligat.* 1. CONTRUD CONTRA habeo Latinam vocem. 2. EXEIC: puto factum a צוח TZUC, *Osce* EXUC: *clamare, vociferare, obloqui*: Et arbitror agi de obloquutoribus Legis et maledicis. 5. FE-FACUST: FE, VE et *etiam*: בתצ BETZ FECTZ Arabibus *temnere contemnere parvi facere.* 4. IONC ינה INC *imponat imperet.* 5. SUAE-PIS *Paganis Tribulibus.* pag. 6. HEREST MEDDIS MOLTAUM *celeriter studiose Meddix imponat mulctas.* Nam si *Convivium* parandum ex *mulctis*, et nullae *mulctae*, nullum profecto futurum erat *Convivium.* 7. LICITUD; *Sumat capiat.* 8. AMPERT MISTR; AM *ex de*, PERT פרות PRUT *fructibus*, M-ISTR, מ-שתר M-ISTR, *ex reliquis residuis*, quae supersunt ex necessaria consummatione quotidiana. 9. EIS *ex* יצא ITZA, vel יש IS *Res.* 10. AETEIS, עות OUT AUT, *opes divitiae*; quae scilicet cumulantur ad luxum, ad delicias; scilicet *Mulctae* non poterant cadere et imponi super *victum necessarium* et quotidianum: Sed tantum super *opes*, quae reservantur et cumulantur. 11. EITVAS LIKITUD *Exactor* has mulctas *colligat, exigat*: Quod Civilem *Oscorum* nostrorum sapientiam, et illam temperatam *Plutarchiam*, de qua dicebamus pag. 13. 14. egregie demonstrant.

CAPUT II.

INSCRIPTIONES MESSAPIAE ET SALENTINAE.

ART. I.

Inscriptio Monopolitana.

KLAO HIFE NAS DENTH AFAN FALDES TAIMACHOS INFINTA FALD ANKOSI NIN INFINTATI LICHIDAR GAHE CHITATO OITINAI HIDITA ISSINO MAISON TOLTOS IXINAI.

Haec inscripta lapidi invento in Sepulcro detecto in Agro Urbis *Monopolis*, quae sex milliariis distat a veteri *Egnatia*: et literis quidem Messapiis. Edidit Nardellus in sua *Monopoli* pag. 172. 173. ann. 1773: Sed literis Graecis, Latinisque: Inde nos omnia literis *Latinis* expressimus, ut unus esset omnium tenor. Refert Nardellus iam tum, scilicet ab annis 1768. 1769. missa fuisse Ectypa Neapolim ad Viros literatos, qui eius interpretationem tentarent: Sed affirmat neminem voluisse periculum facere, ne Mazochium quidem. Nec deinceps novimus aliquem, qui pertentasset. Nos autem vertimus: *Clauditur hic Vir dilectus Civibus Taimachus Infinta Civis Egnatiae, filius Infintatorum, illustris incola, splendidus cum humilioribus: Ditissimus Arvorum, Gregum, Iumentorum, et triplicis Thesauri.* Nam:

1. KLAO, est ipsum כלא CLA *claudi, occludi, obtegi, clauditur, occluditur.* 2. HIFE, פי PHI, FI הפי emphatice, FPHI, IPHE *hic, hoc loco.* 3. NAS ipsum נאס NAS, אנש ANS *homo, vir.* 4. DENTH, DEND, et ablata nasali Arabica a populis multis amata DED DUD דוד DUD, *charus, amatus, dilectus.* 5. AFAN: Vel est a בני BNI ABNI, AFNI, AFAN *filiis, natis* Civitatis, ex receptissimo Orientalium stilo: unde illud Biblicum vulgatissimum: *Virgo filia Sion*:

nempe omnibus *Civibus* et incolis Civitatis: vel est a בין BIN, FIN, AFIN *in*, *intra*, *inter*, quod etiam sententia recipit. 6. FALDES; FALD-ES, ES איש AIS *homines*, *viri*, Personae: FALD ipsum בלד, BLD, FLD *Civitas*, *sedes*, *locus*, *oppidum*, Urbs; unde FALDES sunt *homines* Civitatis *Oppidi*, *Urbis incolae*, *Cives*. 7. TAIMACHOS, Praenomen, sive proprium nomen defuncti personale, prorsus simile Graeco Δαιμαχος: An autem *Osci* hominis nomen sit ipsum Graecum, hoc nec praestarem certo, nec pernegarem. Nam ab Aevo Alexandri magni, quo recentiorem hunc Titulum arbitramur, plures Homines orientales et Semitoglossi Nomina Graeca, et hinc Romana adfectarunt, et adoptarunt. 8. INFINTA est omnino nomen *Familiae* et Gentis ex constantissimo stilo Italico, non Hellenico, quibus Gentes, et nomina certa et solemnia *Familiarum* non fuerunt. Nomen autem INFINTA obscurae et incertae potestatis est, ut pleraque Nomina Personalia apud omnes Gentes. 9. FALD בלד BLD FLD *civis*, *incola*. 10. ANKOSI: Haec EGNATIA, quam per os Romanum novimus: ore *Osco* ENGASIA, ANKOSI. 11. NIN ipsum נין NIN *filius*, *natus*, *gnatus*. 12. INFINTATI, *Infintatorum*, ut Romanus dixisset *Corneliorum*, *Iuliorum*, *Claudiorum*, dubio procul, quod esset ex clarissimis, et potentibus Familiis. 13. LICHI: לחח LCC et duplici litera contracta LICHI *splendidus*, *clarus*, *illustris*. 14. DAR DOR דור DOR *civis*, *incola*, habitator. 15. GAHE ipsum גאה GAE, GAHE *magnificus*, *generosus*, splendidus; ut est CAIUS, vel potius GAIUS Romanorum. 16. CHITATO ipsum חתת CTT CHITIT *humilibus*, *inferioribus*, tenuioribus, pauperibus. 17. OITI עות OUT OIT *dives*, *opulentus*, divitiis abundans, affluens. 18. NAI נאה NAE *honeste*, *decenter*. non per illicitas et malas artes, rapinas. 19. EIDITA ab הדה EDE, EIDE, הידות EIDOT *arvis*, *agris*, terris frugiferis. 20. ISSINO a צאן

TZAN ISSAN ISSINO, *Gregibus*, *pecoribus*, *ovibus*, *capellis*. etc. etc. 21. MAISON ipsum מואסין MUASIN Arabum, nempe *Iumentis*, *equis*, *mulis*, *asinis*, a מואס MUAS *Iumento*. 22. TOLT תלת TLT Chaldaice pro שלש SLS SLS *ter*, *triplici* vice, *triplicato*, et probabiliter non tantum magno et amplo, sed revera triplici, facto scilicet ex *auro*, *argento*, et *aere* signato. 23. IXINAI, vel a חזן HZN HZIN IZIN *thesauro*, *pecunia*, *opibus*, quae in Apothecis et Penu servantur: vel a חצן HTZN IXIN *horreo*, *apotheca*, penu, conclavi rerum pretiosarum, abditarum.

ART. II.

Inscriptiones Coelienses.

I. FALLA IDIHI.

Haec inscripta Alphabeto Messapio lapidi sepulcrale invento in Agro *Coeliensi* in vetere Calabria, sive Messapia posito, ut nobis per Epistolam testatus est I. B. Thomasius Brundusinus. Adhuc inedita Inscriptio est quantum scio, ut reliquae ferme omnes Messapiae. Vide *Bullett. Archeol. Roman.* 1834. pag. 53. 54. Quoad eius naturam autem, ut omnium fere Inscriptionum Messapiarum, quas Thomasius collegit, tenendum est nec Nomina, nec Cognomina Defunctorum in eis servari et contineri; sed plerumque faustas tantum adprecationes, et inclamationes funebres, bona Defunctis verba. Quamobrem hanc primam propositam vertimus: *Bonus*, Χρηστος, *elevatus est*. Nam:

1. FALLA est Arabum באל BAL FAL FALLA *bonus* χρηςος *Manis*. Eadem potestas et radix in *Etrusco* ABIL, ut vidimus in *Tentam. Hermen.* p. 120. 178. 179., ubi et de aliis pluribus inclamationibus Etruscis funebribus egimus. 2. IDIHI: Puto factum Chaldaice pro IZICHI a חזח ZHH DHH IDIHI *elevatus est*, *sublatus est*. Nempe *bonus* χρηςος *manis* est factus *abiit*.

II. PLATO RASFATI NIHI.

Haec in alia Tabula lapidea sepulcrali *Coeliensi* inscripta, ex fide eiusdem Thomasii: verterem: *Plauti Cineres quiescant.* Nam:

1. PLATO videtur hîc sive *Praenomen*, sive *Nomen* Personale quodcumque, ut apud Latinos Graecosve *Plautus*, vel *Plato*. 2. RASFATI: vel est a רשפ RSF *favilla*, *carbones* igniti: Adeout RASFATI posset esse *cineres*, *corpus* ustum; vel est a רסב RSB RSF, *sedimentum*, *residuum*, *reliquiae*, quod subsidet, superest: ut sunt *reliquiae* combustorum corporum. 3. NIHI נוח NOH NIHI *quies*, *requies*, *quiescant*, *requiescant*.

III. MOL DAHI ASKA.

Ex Schedis et fide eiusdem Thomasii: Habeo ut funebrem inclamationem, et verto: *Felicitas*, *sublimitas*, *gaudium* (tibi sit). Nam:

1. MOL est מאל MAL, מילה MILE, *prosperitas*, *felicitas*, מלא MLA, *abundantia*, *plenitudo* etc. 2. DAHI, ZAHI זחה ZHE DHE, *sublimitas*, *elevatio*, *laus*, *gloria*. 3. ASKA a שחק SCK SK ASKA *risus*, *laetitia*, *gaudium*.

IV. DATI HILLASO THIHI.

Ex Schedis eiusdem Thomasii; Verterem: *Sapiens*, *liber*, *magnus*. Inclamatio funebris. 1. DATI a דאת DAT *Scientia intelligentia*, prudentia, sollertia, quam Veteres magnam omnibus *Manibus* et Laribus pertinacissime tribuebant. 2. HILLASO, puto factum a חלץ HLTZ, HILLATSO, et suavius HILLASO, *liber*, *liberatus*, *salvus*, *salvatus*. 3. THIHI ipsum זחח ZHH THH *sublimis*, celsus, *magnus*. Etruscis fuit THUI, ut vidimus in *Tentamine Hermen. Etrusco* pag. 125. 126. etc.

V. KILA HIAI HIPASET THIH DOA PALLOA.

Ex Schedis eiusdem Thomasii. Verterem: *Perfecta vita*, *voluptas*, *celsitudo*, *scientia*, *felicitas*, *addatur*, adiungatur. Nam:

1. KILA est כל KL KILA *omnis*, *tota*, perfecta, absoluta. 2. HIAI ipsum חיה HIE HIAI *Vita*, *robur vitae*, vivendi vis. 3. HIPASET חפץ HPTS, HPST, HIPASET *delectatio*, *voluptas*, *gaudium*, *benevolentia* 4. THIHI זחח ZHH *celsitudo*, *sublimitas*, magnitudo. 5. DOA ידע IDO דע DOA *Scientia*, *Sapientia*, *intelligentia*, vis videndi, noscendi, intelligendi. 6. PAL BAL באל BAL *prosperitas*, *felicitas*, *bonitas*, *utilitas*. 7. LOA לוא LOA *addantur*, *adiungantur*, *adponantur*, Defuncto.

VI. DACHTA MORTHANA APRODITA HIP ADES.

Ex Schedis eiusdem Thomasii. Hanc autem sepulcralem Inscriptionem habeo Graecam, etsi literis et ore Messapio traditam. Nam mihi est: Δεχυ ταν Μορθανα Αφροδιτα ὑπ' Αδης: Scilicet *Suscipe hanc o Libitina Venus in Tartaro*. Nam.

1. DACHTA, dubio procul DACH-TA, est Δεχου-τα *habe suscipe* ταν hanc Animam. 2. MORTHANA: Vox quidem, quantum scio, in Lexicis Graecis non occurrit, sed facile deduci potest a Μοιρα, vel a Μορος *Fatum*, *Sors fatalis*; unde Latinum *Mors*, et Parca Fatalis *Morta*, de qua disserit Gellius *Noct. Actic.* III. cap. 16. pag. 103. Et si Hesychio Μορτος est ανθρωπος θνητος nulla Latinorum mentione adiecta, probabile est et hanc vocem ab Hellenoglossis collegisse. Adeoque tenere possumus MORTHANAM Coeliensis Graeci esse popularem vocem, qua Italiotae Graeci *Fatalem Parcam*, et ipsam LIBITINAM Romanorum significarent. 5. APRODITA; Αφροδιτα Dorum, Αφροδιτη Dialecti communis et receptioris. 4. HIPADES, plane ὑπο-Αδης *Sub Tartaro*, *in Tartaro*, ubi regnare hanc Venerem putabant: quam *Proserpinam* multi, *Isidem* alii, ut Apuleius Platonicus, Romani *Venerem Libitinam*, Messapius hic *Aphroditam Morthanam* appellabat.

*

A r t. III.

Inscriptio Ostunensis.

THOL NOAS MATO THIA NOAS.

Ex Schedis et fide eiusdem Thomasii. Vertimus: *Adolescens dormi, a morte domitus dormi.* Nam:

1. THOL טל THL THOL *Adolescens, Iuvenis, Puer.* 2. NOAS ipsum נעם NOS NOAS *dormi, somnum duc.* 3. MATO מות MOT MOTO *mors, morte,* מאת MAT *mortuus*, vita functus. 4. THIA, טוע THUO *subditus, subiectus, obediens*; et adeo domitus, victus. 5. NOAS נעם NOS *dormi.* Pluribus autem Veterum *Somno mors* comparabatur: et ad plurimos Sarcophagos Genii *dormientes* adsculpti: Et adeo canebat Catullus *Carm.* V. v. 6. *Nox est perpetua una dormienda.*

A r t. IV.

Inscriptiones Orienses.

I. DOIMATA GRAHIS.

Ex Schedis et fide eiusdem Thomasii. Verterem: *Quiescit hic Grahis.* Nam:

1. DOIMA est דמה DME DIMA, *Silet, quiescit, requiescit*, tranquillus manet; דומיה DUMIE *quies, exspectatio.* 2. TA זה TE TA *hic, hoc loco*: apud plurimas Gentes. 3. GRAHIS. habeo *Nomen Defuncti*, sive Viri, sive Mulieris.

II. TABARA.

Ex fide eiusdem Thomasii. Nempe: *Reliquiae*: Vox autem est solemnis et recepta tum apud *Oscos*, tum apud *Etruscos.* Vide *Tentam.* nostra.

A r t. V.

Inscriptiones Callipolitanae.

I. FALLA MOU DAHAS.

Hanc Inscriptionem ipsis literis Messapiis, quae ex Latinis Graecisque pleraeque sunt factae, edidit ipse

Thomasius ann. 1830. Adp. ad Sacrum *Opusc. Poeticum*: tum Barthol. Ravenna in *Memor. Istor. di Gallipoli* 1836. Angelus de Simone Literarum Orient. Regius Professor in eodem *Opusc.* pag. 34. vertebat: *Vir admodum doctus et sapiens, huius soli mollis et arena expertis.* Et supplebat: *Hic iacet*: Quin addebat verti etiam posse: *Doctrina huius soli, non arena, non terra, non luto constantis:* Quae quid sibi velint, ipse viderit. Nos de more Gentis funebrem Inclamationem deprehendimus; et vertimus: *Felicitas, requies, magnitudo Homini* (obveniat).

I. FALLA, ut dictum pag. 129. est a באל, BAL Arabum *Bonitas, Utilitas*, Vel a בהל BEL Syrorum *quies, requies*. 2. MOL est מאל MAL מילה, MILE Arabum *Fortuna bona, prosperitas, felicitas*. 3. DAH-AS, זח ZH DH DAH *Sublimitas, celsitudo, magnitudo*, AS איש AIS *Homini, Personae* defunctae obveniat, sit, fiat.

II. LAPARED ODNAS.

Edidit literis Messapiis idem Thomasius libello citato. Ignotum mihi est, an aliquis verterit: Versio nostra est: *Gaudium, exsultatio, voluptas Homini* obveniat, sit. Nam:

1. LAPA ipsum LUPU Etruscorum, de quo egimus in *Tentam. Etrusc.* p. 122. 123. Est a לעב LOB LABO LAPA *Ioci, risus, gaudia*. 2. RED, REZ, ROZ רח ROZ *exsultatio, laetitia*. 3. ODN ipsum עדן ODN, *deliciae, suavitates, voluptates, Eden*. 4. AS AIS איש AIS *Homini Defuncto*; vel יש IS sint.

III. LAPARED ONAS.

Edidit idem Thomasius, Vocabula etiam inversa, ut in praecedenti. Vocem postremam non reor corruptam ex ODNAS, sed factam ab ענה ONE ענא ONA *divitiae, opes, facultates*: ut sit versio: *Gaudium, exsultatio, divitiae.*

IV. LAHIANES FALLASSO.

Apud Thomasium in *Opusc. citat.* et Ravennam *op. citat.* Verto: *Lux pulcra homini, felicitas, salus.* Nam:

1. LAH est לחה LHH Arabum *lux, lumen, splendor.* 2. IA IAI יאי IAI *pulcher, decorus, venustus.* 3. NES NAS *Homini*, נאס NAS. 4. FALL, באל BAL *bona fortuna, felicitas, prosperitas.* 5. ASSO ישע ISO ISSO *salus, salvatio, redemptio.*

V. LAI DEHI ABAN LOBE TIBAS.

Apud eumdem Thomasium in Tabula *Opusc. cit.* et Ravennam *Op. cit.* cum aliqua varietate. Vertimus: *Adiunctus sublimi intelligentiae, gaudiis desideratis Homo.* Nam:

1. LAI לוא LOA *additus, adiunctus* fuit, adsociatus fuit. 2. DEHI ZEHI זה ZH *celsae, sublimi, elevatae.* 3. ABAN בין BIN בינה BINE *intelligentiae prudentiae, sollertiae.* 4. LOPE LOBE, לעב LOB *gaudiis, risui, laetitiae, iocis.* 5. TIB תאב TAB, *desideratis, exoptatis*; vel טוב THOB *bonis, eximiis, perfectis.* 6. AS איש AIS *Homo, defunctus.*

ART. VI.

Bastensis Inscriptionis pars prior.

KLOE ITIBO OTORIA MARTA PIDOG ASTEI BASTA FEINAU VARANIN DARANTHO. AFASTIS TABOOS CHONE DONAS DAKTAS, SIFAA NETO SINTHI TRII ONOCHOAS. TABOOS CHONE TOINI DATI MLI NIBEI DIINI. etc. etc.

Hanc Inscriptionem literis Messapiis expressam primus edidit Antonius Ferrarius Galateus in suo libro de *Situ Iapygiae* Saeculo XVI. ineunte, postquam, ut ipsemet testatur, eius Ectypa ad Pontanum, Sannazarium, Charitheum, aliosque doctos Viros, qui Neapoli florebant, frustra misisset. Inde in repetita libelli editione facta in *Collect. Caloger.* Tom. VII.

ann. 1732. p. 170. iterum fuit edita a Bernardino Tafurio Neritonensi: Edita etiam fuit in Thesauro Gruteriano Tom. I. pag. 145. an. 1707. Hinc a Hieronymo Iordano in 3. edit. *Iapygiae* Galatei in *Delectu Scriptor. Neapolit.* pag. 614. 615. et tandem a *Romanellio* in *Topogr. Istorica.* Tom. II. pag. 51. 52. Paullus Merula in suâ Cosmographiâ tres tantum Versiculos primos pag. 610- an. 1610. quod fecit deinceps Lanzius in *Saggio* Tom. III. pag. 621. 622. ann. 1790. edidit. Qui autem ad explicandam Tabulam Bastensem accesserint fuerunt admodum pauci. Primus Ludovicus Bourguetus ann. 1735. in ea non pauca tentavit, editumque interpretationis specimen in *Actis Academ. Cortonensis* I. Praef. XI. XII. in quo KLOITI legitur, et vertitur *Claustrum*: hinc ZOOTORIA: *animalium Custodia*: MELARTA *mellifluo*: PIDOG *fonte:* AGAL *decoratum*: TEIBLAK... etc. etc. Lanzius vero loc. citat. tantum haec protulit quasi ipsam lectionem et versionem duorum primorum Versiculorum: Καθιζεσθω τα ορια Μασσαπιδος αστει Βαστα: *Statuantur termini Messapiae Urbe Basta*: Quae cum discrepent penitus a lectione omnium Ectyporum probari nullo modo possunt, nec debent. Ego contra teneo etiam in hoc Bastensi Lapide agi de solemni et Tribuli *Convivio*, de Epulis *Oscis Paganis*: quae scilicet statis temporibus celebrarent *Pagi* et Vici consanguinei, ut iam saepius animadversum est; Et ideo sic vertimus: *Convocatio stata generalis laeti Convivii Civitatum Bastae, Fani, Bariani, Hydrunti. Mulctarum Exactores comparent Triclinia, Mensas, Sellas, Vasa, Crateres, Pateras, Amphoras vinarias. Exactores acquirant et cibos congruos copiosos, liquorum et vini sufficientiam* etc. Nam:

1. KLOE est קול KOL, קלא KLA, KLAE *inclamatio, advocatio, convocatio*, Arabice קאיל KAIL *dictum, edictum, mandatum*. 2. ITIBO: ut mihi

legendum ex quibusdam Ectypis visum est, a היבה TIBE, ITIBE, quod *scribitur*, *describitur*; Nam hoc mandatum scriptum in *Tabula* lapidea est: Si verior lectio ITISTH, ut habent alia Ectypa, nempe IT-IST, IT, esset mihi TI TO זה ZE, *hoc haec ista*, IST שות SUT IST *stata* posita collocata *constituta*, quae etiam ad rem. 3. OTORIA ab עתר OTR OTORE *multus*, *numerosus*, *generalis*, universalis, et forsan IA אי, *terra*, *provincia*, *regio*. 4. MARTA ipsum מרזה MRZE, MARTE, *Convivii*, *Epularum*, *Feriarum* convivalium, qua significatione sumi vocem testis Ignatius Weitenaver pag. 198. Lexici sui. 5. PIDOG, ipsum בדג BDG PDG, vel בדח BDC, *laetitiae gaudii*, *hilaritatis*. 6. ASTEI ipsum אשתא ASTA *focus*, ἑστία, *Focorum*, *Pagorum*, Civitatum. 7. BASTA: Nomen oppidi et Civitatis satis clarae in Salentinis, de qua Galateus, Cluverius, Giustinianius, Romanellius, aliique egerunt. 8. FEINAU, nomen alterius sive *Pagi* sive Oppidi contribulis, et Convivalis: omnino videtur FANUM Minervae: ad quod *Fanum* quum accessissent plures Familiae, et factus esset *Pagus*, Cives ad commune Convivium sunt proprio Nomine advocati. 9. VARANIN, oppidum contribule, dubio procul sive *Veretum*, sive potius et satius *Barianum* Bastae proximum: vide Romanellium in *Topograf. Istoric.* Tom. II. pag. 34. 35. 10. DARANTHO; non *Tarentum*, ut visum Lanzio loc. cit. pag. 621. Primo quia haec Urbs, etiam Romanis dominis magna, non potuit accedere quasi pagus quarto loco ad Epulas *Bastae*. 2. Secundo, quia Tarentum plane dissitum a *Basta*. 3. Tertio, quia *Tarentum* Hellenica non *Osca*, vel *Salentina* Civitas, quin Tarentini et Messapii aeternum hostes et mutuo infensissimi, ut patet ex Diodoro Siculo lib. XI. ad Olymp. 76. et aliis pluribus. Sed omnino istud DARANTHO habendum HYDRUNTHUM; Nam voces sunt perfecte homiophonae, quum Orientales quotidie

dicant Nazarie, et Anzarie, DARANTHO et IDRUNTHO Et *Hydrunthum* est circumpaganum *Bastae*, et aliis oppidis in Lapide citatis: unde Plinius III. cap. XI. pag. 117. *ab eo Basta Oppidum, et Hydruntum.* etc. 11. AFASTIS, IS-AFAST, arbitror esse a פצה PHTZE PHAST Italico ore *redemtio*, *solutio mulctae*, pecunia soluta: adeoque convenire cum Campana *mulcta* vel *multa*, de qua diximus pag. 74. 75. Non autem mirum *Salentinos Oscam* vocem non suscepisse, nam hi non erant omnes vel plerique *Arcades* et *Oenotri*; Sed *Cretenses*, non ex *Creta* Graeca, sed ex *Creta* Palaestina, sive Philistinorum, unde Minos, et Minoides, et *Eteocretes*, et *Ceretaei*. 12. TABOOS, OS-TABO, nempe איש AIS, OS *homo*, *vir* תבע TBO TABO, *vindex*, *ultor*, *exactor*; respondet prorsus Volsco TAFANIES, de quo loco suo, et Campano EITUBA, et Lucano EITVAS, qui sunt ab עתיב OTIB: utraque autem vox egregia et opportuna. Nam *exactor collector* est *vindex* legum, *ultor* scelerum per poenam quam sumit. 13. CHONE, ut clare et constanter in Ectypo Iordani, et aliorum a קנה KNE CHONE *acquirat*, *comparet*, *adparet*. 14. DONAS; AS-DON, AS-TON, תון TON, *conclave*, *cella*, hic *Triclinium*, aedes Convivales. 15. DAKTAS, DAKT-AS: Puto esse Chaldaicum דחון DCUN, adsumta formativâ ת T, nempe *Mensa*, *mensas Tabulas conviviales*. 16. SIFA SIBA *Sellas*, *sedilia*, cathedras ab יסב ISB, SIBA *sedere*, SUBE-IS Nolanorum, *Essopia* Latinorum. 16. ANETO, ab אנה ANE, אניה ANIE *vas*, *dolium*, *crater*, et ANETO quasi אניות ANIUT, *Vasa* plura, *Crateres*. 17. SINTHI, et ablata Arabica nasali SITHI, SIDI arbitror factum a Chaldaico שדד SDD *fundere*, *effundere*, *libare*, versare, Vasa nempe propria, opportuna ad libandum et *versandum* liquores necessarios. 18. TRIE תרא TRA, תרי TRI, ex *luto*, *creta*, *argilla*, *figlina*, *figulina*. 19.

IONOCHOAS: IONO-CHOAS. יין IIN ION *Vini*, כריש KOS KOAS *Vasa Crateres Amphoras Vinarias.* 20. TABOOS *Exactores multarum*, *Censores.* 21. CHONA קנה KONE *acquirant*, *comparent.* 22. TOINI, ZOINI זין ZION, TION *cibos*, *escas*, *alimenta.* 23. DATI a דאת, DAT דעת DOT *statuta*, constituta a lege, Legalia, legitima, *pura.* 24. MLI, a מלא, MLA *copiose*, *abundanter*, multa. 25. NIBEI, נבע NB *Liquorum*, rivorum, *aquae* fluxus. Nam ad convivium Tribule ingenti aquarum copia opus erat. 26. IDI די DI, DII, IDI *sufficientiam*, *copiam*, *obundantiam.* 27. INI יין IIN, *vini.* etc. etc.

CAPUT III.

INSCRIPTIONES SICULAE.

I. *Inscriptio Messanensis.*

STENIS KALINIS STATTIEISA MARAS POMPTIDATIES IUMO ZIEKE MEDDIX OUPHENS EINEMA TOSTO MAMERTINO APPELLONE ISAKORON.

Haec bis inscripta literis Graecis et duabus Tabulis lapideis Messanae olim servatis. Primus, ut puto, edidit Georgius Gualterus 1625 in *Inscript. Sicul.* pag. 3. n. 7. Hinc Athanasius Kircherus *in suo Latio* pag. 237. ex alio Apographo ei a Patre Iesuita misso: inde Antonius Ricchi in *Regia de' Volsci* pag. 24. Accuratius vero et rectius descripsit Dominicus Gallus *in Annali Messinesi.* I. pag. 16. 1756 et hinc dedit apographum suum Princeps Turrismutiae in *Inscript. Sicul.* 1769 pag. 55. 56. *Class.* V. Inde Amaduzius in *Adpend. ad* III. *Volum. Picturar. Passerii* pag. 123. et hoc fere per omnia praeferentes dedimus literis latinis, ut unus esset omnibus tenor. Huius autem Inscriptionis primus, ut videtur, Kircherus interpretationem tentavit, quae pag. 237 huiusmodi est. *Generosae Kalinae Stat-*

tiae Dominae Pometiae Nymphae sacrae, *Magistratus Upsetinus*, *qui Marti sive bello praeest*, *Apollinis coniuge*. Quae an Kircherus ipse intellexerit, nescio. Dominicus vero Gallus refert P. Mazaram habuisse Inscriptionem hanc plane Graecam, etsi corruptam, et vertisse huiusmodi: *Angusta Aedicula constituta iure quidem manus deductiunculam magni facientes vetere clamore quaerere id posset Meddix Upsens* etc. Quae certe ne ipse Mazara capere potuit. Nos contra Inscriptionem hanc Messanensem insignem arbitramur, et ad Mamertinorum historiam illustrandam opportunam. Nam sic vertimus: *Stenius Patre Kalino*, *Matre Stattia*, *Curator Paludis Pomptinae siccandae*, *Praetor Uphentinus*, *exuvias Mamertinorum deficientium Apollini consecravit*. Nam:

1. STENIS est Praenomen *Oscum Samniticum* et *Campanum*, unde orti *Mamertini* Messsanenses. Festus in *Mamertini* loquitur de *Stenio Mattio* Gentis Principe, cuius consilio Colonia *Samnitum* et *Campanorum* primum in *Tauricana* Brutiorum consedit, et deinceps *Messanam* occupavit. 2. KALINIS IS-KALIN, IS איש AIS *Vir homo* spectans ad *Kalinios*, nomen Gentis vel *Familiae* Paternae. 3. STATTIE: Nomen Gentis Maternae, ex more tum *Etrusco* tum *Osco*, ut iam animadvertimus. 4. ISA יצא ITZA ISA *filius*, *gnatus*, *natus*, ipsa vox *Etrusca*, de qua diximus in *Tentam. Etrusc.* pag. 115. 5. MARAS: AS-MAR, AS איש AIS *vir*, *homo*, Persona MAR מר *Doctor*, praeceptor, director, *Inspector*, *Praefectus*. 6. POMPTIDATIES, POMPTI-IDATIE-ES: Atqui Syris אדיתא AUDITA AIDITA sunt *loca aquosa*, *paludosa*, *stagnantia*, ita ut POMPTIDATIES sint *Paludes Pomptinae*. 7, IUMO יומא IUMA Syris *stagnum*, *lacus*, *lacunae*, *paludes*. 8. ZIECHE ipsum צחה TZCHE ZECHE, *arescere*, *siccare*, *exsiccare*. Quae autem Romani ad *Pomptinas Paludes* siccan-

das tentaverint, et egerint, iamdiu collegerunt magna ex parte et retulerunt Cluverius in *Italia* pag. 1005. 1006. et Kircherus in *Latio suo* pag. 246. 251. 9. MEDDIX Nomen Magistratus *Osci*, de quo diximus *Praetorem* appellavit Livius, et recte. 10. OUPHENS nempe *Uphentinorum*, Pagorum scilicet et Vicorum, qui positi essent ad fluvium *Uphentem* in Volscis late celebrem. Nam nulla fuit Urbs *Uphens* dicta. 11. EINEMA ipsum עינמא ONIMA EINIMA *exuvias*, *spolia*, *manubias*. 12. TOSTO תשת TST TOSTO a תשש TSS *debilium*, *deficientium*. 13. MAMERTINO *Mamertinorum*, qui Colonia Campanorum. 14. APELLONI suavius ore Romano *Apollini* Deo notissimo, sed qui habendus sit ipse *Mars*, et *Mamers Oscorum*, ipse ille Deus cuius ductu condita Gens, et Colonia *Samnitium* in Siciliam perlata, et qui nullus alius esse potuit quam Iupiter sive *Mars Oracularis*, et *Dodonaeus*, et *Oscus*, de quo diximus pag. 28. 29. 15. ISOCORON, vel est Semiticum זכר ZKR ISOCORO *memoriale*, *memorandum*, in memoriam et Coloniae ductae, et victoriarum partarum, vel est potius שכר SKR ISOKORO *merces*, *praemium*, *debitum*.

Hanc Inscriptionem ad historicam veritatem longa et diuturna disquisitione, ad quam alios lubentissime invitamus, exigere hic non est datum. Dicam tamen brevissime mihi videri *Stenium* hunc *Kalinum* ex *Mamertinis* Messanensibus factum sub Traiano Augusto Praetorem Uphentinum, et Praefectum *siccandis Pomptinis Paludibus*: qui quum sentiret et videret Coloniam Samniticam et Campanam *Mamertinorum* Messanae quotidie deficere et imminentem extinctionem minari, ne illustris et clarae *Coloniae memoria* etiam aboleretur, collectis armis et spoliis illustrioribus *Tropaeum Apollini Mamertino*, sive *Martiali* Osca et Mamertina Inscriptione dedicavit.

II. *Inscriptio Centuripina.*

NANA STE MTI MTHMARA STAINAM. THEMI TOM ESTI DUROM. NANE POS DUROM. THEMI TOM ESTI. BEG THOM NER EMPONI IAH. TOME RES HI NOBA TOME.

Haec adscripta literis veteribus Graecis Latinisque et Bustrophedice circa limbum Operculi Vasis naviformis rudis et non picti inventi in Sepulcro *Centuripino*, habitique olim a Petro Pisano Panormitano. Edidit et illustravit unus quem sciam Iosephus Crispus in *Giornal. lett. di Sic.* 1830. Tom. XXXII. pag. 66. 67. qui linguam huius Inscriptionis esse plane Graecam, sed foede corruptam autumavit. Quamobrem sic interpunxit et proposuit. Νυν. εις. την. τιμην. αρας' αινην. θεμιτον. εστι. δηρον. Νυν. επος. δηρον. θεμιτον. Ελθωμεν. δε. εμπονον. την. των. μερει. δωσιν. ῳ. βατον. εστι. quae ipsemet sic vertebat Latine. *Nunc in poenam execrationis gravem diuturnam est statutum. Nunc decretum diuturnum statutum est. Eamus autem laborantes fatalem seriem ea parte qua eundum est.* Quae nullo pacto probari possunt. Primo quia depravationes vocum Hellenicarum ita remotae sunt, ita heteroharmonicae, ut umquam spectasse ad Hellenoglossos impossibile. Secundo quia qui scit scribere recte Hellenice, scit etiam necessario loqui Hellenice: et nullum prorsus exemplum est Inscriptionis in vere foeda populari Graeca Dialecto exaratae. Et certe etsi nos aliunde sciamus Aeoles, et Dores plebeios absurde saepius Hellenica vocabula depravasse; nec Aristophanes, nec Euripides, nec Pindarus, nec Theocritus ita depravata et corrupta protulerunt. Tertio quia sententia adficta ita obscura, confusa, inintelligibilis, incerta, et remota, quae nullo pacto sepulcrali Inscriptioni plebeii hominis conveniat.

Nos contra persuasi veterem Siculorum et propriam Linguam durasse saltem ad secundum saeculum

Christianum aetate Apuleii Medaurensis, qui Siculos *Trilingues* appellat: scientesque ex Thucydide historico gravissimo adhuc quinto Saeculo Prochristiano, ipsa fere aetate qua conditum *Vas Centuripinum* arbitrari possumus, in ipsa hac Urbe *Centuripina* et potentes et florentes fuisse *Siculos Autonomos*, *Autoglossos*, *Autodiaetos*, *Oscam* prorsus Inscriptionem arbitramur, et eam sic esse vertendam: *Filia, iaces mortua in Caverna lapidea: Corruptionis finis aderit. Improbitas, Filia, deficiet: Gaudebis, gustabis lucem ex facie Dei: Finis principium vitae, Resurrectio finis.* Nam

1. NANA mihi vel est נין NIN *filius*, *gnatus*, *filia*, vel praenomen *Nana*, non infrequens apud veteres ab Anaitide et *Nanaea* celeberrima Orientis Dea. 2. STE quasi Latinum *stas*, *iaces*, שות SUT *ponere*, posita, reposita, deposita. 3. MTI מות MOT, מתי MTI *mortua*, vita iam functa. 4. MTHMARA, M-THMARA ipsum ם-טמרה, M-THMARA, *hac Caverna hac Crypta*, hypogaeo. M. MI *hic*, *hoc* loco, ex ingenio Linguae Oscae et Etruscae, in quibus *me*, *mi* hic *hoc* loco significant. Vid. *Tent Etrusc.* p. 126. 128. 5. STAINAM צנמ TZNOM STNOM *lapides*, *petrae*, Lapidea, Saxea, in Petra et monte saxeo excavata effossa. 6. THEMI טמה THME *pollutio*, *inquinatio*, *corruptio*, exputrescentia corporum. 7. TOM תומ TOM, תאמ TAM *finis*, *consummatio*. 8. ESTI שות SUT *erit*, *ponetur*, imponetur: In finem *ipsa destruetur mors*, corruptio, putrescentia habebit finem. 9. DUROM; דרמ DRM, *improbitas*, *malitia*, *malignitas*, 10. NANE *filia*, *Nana*. 11. POS פס PS POS *deficiet*. *finiet*, *consumetur*, absumetur. 12. DUROM דרמ DRM *durom iniquitas*, *improbitas*. 13. THEMI טמה THME *inquinationi*, *corruptioni*. 14. TOM, תומ TOM: *finis*, *consummatio*. 15. ESTI erit, *ponetur*, *statuetur*. 16. BEG ipsum בהג BEG *laetitia*, *gaudium*, *laetaberis*, *gaudebis*.. 17 THOM ipsum טעמ THOM

gustans, *degustans*, *carpens*. 18. NER, נהר NER, *lucem*, *lumen*. 19. EMPONI EM-PONI, מ-פני M-PNI ex *facie*, ex *vultu*, ex *ipso adspectu*, ex visione. 20. IAH IAE יה IE *Dei magni*. 21. TOME תום TOM *finis*, *consummatio*, mors. 22. RES ריש RIS *caput*, *principium*, *initium*. 23. CHI חיה CHIE *Vitae*, vivendi, vitae verae. 24. NOBA ipsum נבה NBE NOBA *excitatio a somno*, experrectio, suscitatio dormientis. Arabibus נבע NBO est ipsa *Resurrectio Mortuorum*, ipsa *Resuscitatio* defunctorum solemnis et stata in Mundi fine et consummatione. 25. TOME תום TOM *finis*, *consummatio* rerum.

Quis autem haec scripserit, Deus scit. Ego autem teneo Siculorum patriam primitivam fuisse Regiones circa Agrum *Damascenum*, cuius Regionis irriguae Symbolum est *Triplex humana Coxa*, de qua egimus in *Tentam. Hermen. generali* pag. 72. 73. ibi *Enna* et *Eden*, ibi et ipsos *Eumolpidas* colloco. Et quod ad rem facit magnum *Iobum*. Adeoque mihi est probabile Auctorem huius Inscriptionis fuisse aliquem ex doctis Sacerdotibus Siculis, qui de *vita futura* eadem fere Dogmata tenebat, ac Iobus, et plerique alii Sapientes earum Regionum, ex quibus plurimi Itali progeniti.

III. *Inscriptio Hipparensis.*

In Necropolio *Hipparinae* Urbis olim inter Panormum et Agrigentum posita inventus est ingens lapis, in cuius summitate literis veteribus Graecis, Latinisque magnis et semicubitalibus haec pauca verba insculpta. VA USPO OIAT OZOS. Idem Iosephus Crispus edidit in *Giorn. Sicul.* 1830. Tom. XXXIV. pag. 70. legitque: Αυαυς ποθω ιατος ζωσι, et vertit: *Avaus desiderio est sanabilis viventibus*: quae forte nec ipsemet Crispus intellexit. Atqui contra in ingenti lapide magnis literis exarato invento in Necropolio insignis Urbis, non potuit indicari nisi Se-

pultorum conditio. Nempe ut nos vertimus: *Hic quiescunt ditiores et potentiores*. Nam:

1. VA, BA, בי BI, פי PHI hic, *hoc loco*, apud omnes Semitoglossos. 2. USPO שפה SPE USPE *quiescere, requiescere*; vel שפי SPI USPI *clauduntur, conditi sunt:* vel סופ SUP USP *consumuntur, absumuntur*. 3. OIAT ipsum עות OUT עית OIT OIAT *dites, divites, opulenti*. 4. OZOS OS-OZ עז OZ, עצ OTZ, *potentes, nobiles, honorati*, OS איש AIS *Viri Homines*.

SECTIO III.

INSCRIPTIONES SAMNITICAE, MARSAE, SABINAE, VOLSCAE, ET UMBRAE.

CAPUT I.

Inscriptiones Samniticae.

I. *Inscriptio Beneventana.*

IUMMA APRES RASPHU UTRE ME.

Haec leguntur in Lapide Beneventano, quem inversum edidit de Vita in *Antiquit. Benev.* Class. IX. n. 9. Tum Romanellius in *Ant. Topograf. Storic.* II. pag. 381. etiam inversam et prave. Nos post longam et attentam Ectyporum lectionem ea quae edidimus praetulimus: Et arbitramur hac unica Inscriptione *Osca Beneventana* Commune Civitatis Sepulcrum et Necropolium indicari. Et ideo vertimus: *Populi Cineres combusti conditi hic*. Nam:

1. IUMMA est ab עמ OM עממ OMMA IOMMA *Populus, multitudo, Civitas*. 2. APRIES, ES-APRI, ES יש *res substantiae* vox Glossomorphica ad nomina formanda et pluralem numerum indicandum: APRI est ipsum אפר APR, עפר OPR *pulvis, cinis, reliquiae*. 3. RASPHU a רשפ RSPH, vel רצפ RTZPH; *uri, comburi, favilla, carbo* ignitus; ustus, combustus. 4. UTRE ab אתר ATR *locus sedes*, et adeo

positi, depositi, *conditi*. 5. ME Idiomatismus *Oscus* et *Etruscus hic hoc loco*. Quod si legimus: V-TREME. V. esset ב B, בי BI *hic*, *hoc loco*, et TREME esset תרום TRUM *segregatus*, *divisus*, depositus separato et diviso loco, ut vidimus p. 103. Tum sententia esset: ***Populi reliquiae combustae hic segregatae.***

II. *Inscriptio Boviana.*

TANA NIUMERIIS PHRUNTER.

Haec inscripta fuerunt Lapidi, quem *Aram* fuisse Minervae ex fictili Statua huius Deae ibidem inventa certum est. *Ara* autem inventa in Oppido dicto *Rocca di Aspro-Monte* novem tantum milliariis dissito a Boviano Capite olim Gentis Samniticae. Edidit et descripsit primus Dominicus Cerullius peculiari Opusculo 1771. Paulo post in *Giorn. di Letter. Sienese* 1777. iterum edita. Hinc Lanzius *Saggio* III. pag. 611. Romanellius in *Topograph. Storic.* II. pag. 444. Micalius in *Monum. Italic.* Tab. 120. Archiepisc. Lupulus in *Inscript. Corfin.* Ed. 2. 1828. pag. 84. ediderunt. Cerullius autem pag. 28. vertebat: *Diva celeriter nata fulguratrix*. Lanzius: *Tannia Numeria adcurante*: Quam versionem probavit Romanellius: et suam fecit Lupulus pag. 85. Nos vertimus: *Tanae Numeriae Aedituus* posuit. Nam: 1. TANAS, AS-TANA, est *ad Tanam* TANAE: *Tana* autem est *Minerva*: Nam Aegyptiis NEITHA temurice, Atticis ATHENA, Persis et Armenis ANAITH, et pluribus prorsus TANA, quae vox non corruptio alterius Vocis, sed pura recta originalis. Nam est Chaldaicum תנא TNA TANA *docta*, *sapiens*, *prudens*: quod Minervae proprium. 2. NIUMERIIS, IS-NIUMERI: ad *Niumeriam*: nempe ad eamdem *Minervam*: quae vox NUMERIA est Temura MINERVAE. Minervam autem dictam ab Italis veteribus *Numeriam* mihi est prorsus probabile: tum quia *Numeri*

sacri *Minervae*, et *Clavi annales* Etrusci et Romani ut Livius testatur Libr. VII. Cap. 3. p. 61. et adnotavimus in *Pantheo Etrusco* pag. 89. 90. Tum quia Dea magna *Numeria* Romanorum et *Oscorum* non potuit esse alia a *Minerva*. Haec autem *Osca* vox NIUMERIIS posset esse etiam praenomen *Oscum* illustre, de quo ipse Festus in *Voce* agit, et adeo referri ad *Aedituum* et *Neocorum* ipsum. At nos longe probabilius esse arbitramur hoc vocabulo non praenomen commune et incertum obscuri hominis, ex familia et gente ignota; Sed contra nomen characteristicum et clarum *Deae* magnae exprimi et significari. 3. PHRUNTER, est qui פרע PHRO PHRU *vindicat defendit* a damno nocumento: et qui UNTER נצר NTZR *tuetur*, *custodit*, *servat*; et נטר NTHR *cernendo*, *intuendo*, observando. Haec *Osca* vox sollerter condita respondet Graecae Voci φροντιςτς, qui *curam* agit, qui *procurat*, *curator*. Posset istud PHRU etiam deduci a בירה BIRE *Templo*, *Aede* sacra, adeout PHRUNTER esset בירה-נטר BIRE-NTHER BRUNTER *Templi* adservator, *Custos*, *Aedituus*.

III. *Inscriptio Petrae Pentrorum.*

NBBE SULLIAIS
TR. M. T. EKK SAKARA
CLUM BUVA IANUD
AKDAPHED.

Haec inscripta Lapidi invento in Oppido Samnitium Pentrorum, quod modo appellant *Pietra abbondante*. Ectypum ductum accurate a sedulo Iuvene Ambrosio Carabba communicavit Guarinius Academiae Herculanensi, unde nostrum exemplar excerpsimus. Guarinii autem versio est: *Naevius Sollius Med. Tut. hic sacrum Bove Iano dedit*. Nostra vero est: *Doctor Sullius Duumvir Iuri dicundo Aediculam lapideam septo inclusam Iano solus persolvit:* Nam:

1. NBBE a נבי NBI *vates*, *propheta*, *doctor*, *gubernator*, *rector*; et puto esse nomen sacerdotale,

et sacrum : nam numquam dicerem hac voce vel Praenomen, vel Nomen Gentis Oscae claudi et significari: numquam Naevii sive Osci sive Romani potuerunt scribi NVVB. 2. SULLIAIS, IS-SULLIA, ex Gente hominibus איש AIS, IS-SULLIIS. 3. TR. M. T. *Duumvir Iuri dicundo*, ut dictum pag. 82. et alibi 4. EKK: puto ipsum esse EKAK Pompeianorum pag. 84. 85. 89. nempe *aediculam*, σηκος, *Nicchio*. 5. SAKARA arbitror esse simile SACRA Capuanorum. p. 113. et hic esse *lapideam*, ex lapide, et fortasse *monolithon*, ut erant saepe apud Aegyptios Aediculae Deorum. 6. CLUM vel est חלום CLUM *fortis crassus* perfectus integer, vel כלמי KLMI *sepes septum maceria*. 7. BUVA est ביעא BIOA, Pelasgice BIUVA : *Taberna*, *Forum*, *Templum*, locus mercatorum, et venditorum, qui plane proprius, et sacer *Iano* Romano, qui Osco homini est 8 IANUD IANU. 9. AKD est vel ab אחד ACD *unicus solus* impendia sustinens, et opus redimens, vel קאיד QAID AKID *princeps praefectus praeses*: APHED, ut diximus p. 83. *solvit*, *persolvit*, *consecravit*.

IV. *Inscriptio Histoniensis.*

IUB EIS LUV PHREIS.

Haec subscripta superficiei inferiori *Aequipondii* Aenei in Agro Histoniensi invento, quo exhibetur Protome viri barbati, cuius capilli in XII partes et cirros distincti a capitis vertice ad frontem et collum aequali circulo decidunt, et unâ vittâ aeque constringuntur. In ipso vertice est annulus, a quo pendebat. Eius Pondo est unciarum nostrarum sex. Neminem adhuc novimus qui edidisset, vel vertisset, etsi in hoc Museum Borbonicum a pluribus annis fuisset inlatum. Nos autem arbitramur hac Inscriptione ipsam naturam *Staterae* et *aequipondii* acute et vere ab *Osco* homine fuisse definitam. Nam vertimus : *Mercium Struem adunat*, vel *separat*, scilicet *Aequipondium*. Nam : *

1. IUBEIS, IUBE-IS, IS יש IS *res substantia*: IUBE est ipsum עביה OBIE *strues cumulus*: יהב IEB *pondus onus*: Nam Lanx *Staterae* vel plerumque, vel fere semper cumulo et strue fructuum vel aliarum rerum oneratur, a quo per criterium *Aequipondii* vel *detrahitur*, vel *additur* aliqua quantitas, et *mantissa*. 2. LUV est לוה LUE LVE LUBE *unit*, *coniungit*, *adunat*. Nam si ad emendas mihi tres libras Pomorum accedo, et Venditor *Lance* Staterae non imponit nisi duas, per certissimum Aequipondii Criterium cogitur alia *Poma* addere LUBE, לוה LUE, donec tres librae sint exaequatae. 3. PHREIS est פרש PHRS *dividit*, *separat*, *seiungit*. Nam si Venditor imposuit Staterae tres *Pomorum* libras et ego malo duas, cogitur detrahere, et auferre, cogitur פרש PHRS PHREIS *dividere separare*. 4. Hanc autem Aequipondii et Staterae naturam non contentus *Oscus* Artifex minutulis istis duobus versiculis *Oscis* expressisse: IUB EIS LUV PHREIS, voluit insuper sese inter Hierographos numerari iterum *Aequipondii* naturam per Symbola Protomes ingeniose exprimens. Nam *Capilli* Capitis שער SCIOR SOR sunt Lexeoschema שער SOR שער·מ M-SOR *mensurae*, *metri*, et *Capilli* שער SOR in XII. partes tributi פרש PHREIS, sunt Symbolum *Librae* Italicae XII. in uncias divisae. Porro *taenia* לוה LUE LVE *fascia*, qua *Capilli* continentur est Symbolum unitatis mensurae, et *Aequipondii* rectoris.

V. *Inscriptio Bucana.*

PACIS TINTIRIS.

Haec leguntur in Lamella aerea, quae suspendebatur, inventa in Agro *Bucano* in Frentanis, et descripta a Iuvenazio, et edita a Lanzio Tom. III. pag. 611. qui vertit: *Paccii Dentrii*. Mihi contra est Amuletum; Et verto: *Conteratur pereat Cacodaemon*. Nam 1. PACIS est ipsum פחס PCS PACIS *te-*

ratur, *conteratur*, infringatur: 2. TINTIRIS TINT-IR-IS est *Diabolus*, *Cacodaemon*: Non a *Tentare* et *Tentatore* Latinorum, sed a Semitico תחז-רע TZZRO, TSSRO, TNTRO *Spiritu malo*, *nequam*, *pravo*. Quin est addendum: quod si idem תחז TZZ TINT est *caedere abscindere*, et RIS רוץ RUTZ *ruere*, *proruere*: et PACIS potest derivari a פחש PCS Arabico, imo ipsius Muhamedis in *Alcorano* res *mala*, *scelerata*, perversa, tum PACIS esset *Cacodaemon*, et altera vox *apotropaea*.

VI. *Inscriptio Castrensis*.

PK. DE. PK. SUBAD EITIB UPSED.

Haec Lapidi inscripta invento in Agro *Castri de Sangro* in Frentanis, et qui modo in hoc Regio Museo Borbonico adservatur. Edidit Guarinius *Comm.* XIII. pag. 26. 27. modo suo, et vertit: *L. Dec. f. Paculus suis et sibi ipsi.* Ego contra arbitror, contineri hoc Lapide Titulum Necropolii Civitatis, et quo non universi Cives sed tantum Primores inferrentur. Et ideo verto: *Praefecturae Primorum*, *Senatorum*, *Correctorum Reliquiae*. Nam:

1. PK. DE. PK est פחה-די-פיק PCE-DI-PIQ. פחה PCE, PC est *Dux*, *Princeps*, *Caput*. די DI, דו DU רא DA *habens*, *possidens*: פיק PIQ *praestantiam*, *praeeminentiam*, excellentiam. Nempe *Primores* et *Principes* Gentis. Quod si ut mihi videtur legendum potius PKDE; nam frequentissime interpunctio Inscriptionum vitiosa, tum esset פקדה *Praefectura*, *Civitas*, *Pagus* bene ordinatus, qui visitatur, inspicitur, censu dispositus: et ageretur de PK פחה PCE *Primoribus Praefecturae*. 3. SUBAD SUBA שיב SIB SUBA *Senes Seniores*, שאב SAB *septuagenarii*: Et ii dubio procul qui essent 4. EITIB עתיב OTIB *Correctores*, *Censores* Populi, et quos Pompeiani dicebant EITIUBA, Nolani VITIVF, Lucani EITVA. 5. UPSED ipsum פסד PSD UPSD (hic) *corrumpuntur*, *absu-*

muntur. Si D Paragogicum UPSE est פסם PSS PS UPS quod idem significat. Si melius ab עבש OBS, עפש OPS *corruptio*, *putrefactio* erunt faeces, fragmina putrescentia, *Reliquiae*.

VII. *Inscriptio Anxanensis.*

BEREIAE LUEKANA PC..LE AAPAS KAL NEPALA.

Haec Lamellae aeneae in Agro Anxanensi in Frentanis invento inscripta. Edidit idem Guarinius *Comment*. XIII. pag. 21. 22. modo suo, et vertit: *Cereri Lucanae ex voto Apasius Kalinus Pub. D. D.* Nos contra Inscriptionem propositam vertimus: *Templo Lucinae munus solvit salva a doloribus abortus*. Nam: 1. BEREIAE est BERE-IAE nempe ipsum בירה BIRE *aedes templum* delubrum, IAE vel a יאה IAE *decorum decens* pulcrum; vel a יה IE *Dei*, *Numinis*: vel a יהה IEE *magnificum illustre* excellens. 2. LUEKANA est ipsa LAUKINA Etruscorum, de qua egimus in *Pantheo Etrusco* p. 112. ipsa LUCINA Romanorum, Dea nempe obstetrix, et Partubus humanis adiuvandis praefecta: ipsa Graecorum Diana LOCHIA. 3. PC... puto factam vocem a פצה PTZE PCCE PCE Italico ore, ut saepe monuimus, *mercedem pretium munus*, vel quod *solvitur* quasi debitum ad *redimendum* votum vel beneficium susceptum. 4. LEE, LUE לוה LUE *addidit adiecit apposuit*. 5. AAPAS, AAP-AS AS, ut Etruscis אשה ASE *Mulier foemina* humana. AAPA ab עפי OPI AAPI *salva salvata sana sanata incolumis*, vel AS est יצא ITZA *ex*, *e*, *a*. 6. KAL KOL חול CUL *doloribus* cruciatibus angustiis; et quidem *partus*: Nam חול CUL est etiam parturire, *parere*, *partus edere*. 7. NEPALA ipsum נפל NPL quod *cadit*, *procidit*, decidit, *foetus*, *partus*, *abortus*: Vox etiam Etrusca, ut adnotavimus in *Tentam. Etrusc.* pag. 242. 243. Quod autem Nomina dedicantis et eucharisticum donum offerentis non sint adiecta minime mirum. Nam nulla adest necessitas

adducendi. Nec apud nos, qui *Vota* appendunt, et suspendunt Nomina sua plerumque adiungunt. Quin *Osci* fuerunt plusquam etiam Etrusci Anhistorici, et incuriosi nominis sui.

CAPUT II.

INSCRIPTIONES MARSAE, ET SABINAE.

I. *Inscriptio Antinensis.*

GAVI PACUIES MEDIS VESUNE DUNOM DED CACUMNIO SCETUR.

Haec Latinis non Oscis literis inscripta sunt laminae aeneae inventae in Agro *Antinensi* ad Lacum Fucinum, et quae debuit parieti alicui adfigi, quia sunt foramina per quae poterat clavis detineri. Edidit Romanellius in *Topogr. Storic.* Tom. III. pag. 231. Guarinius *Comment.* XIII. pag. 9. 10. etc. qui pag. 20. sic vertit: *Pacuvi f. Pacuvius Medis Feroniae Don. ded. cum Populo universo.* Nam VESUNAE est ei *Feronia* Dea Italis plerisque notissima p. 15. 16. Nos autem vertimus: *Gavius Pacuvius Meddix Vesunae donum dedit* (Iovi) *Cacumnio servatus.* Nam:

1. GAVI, quia in Lamellâ quam egomet vidi est ΓAVI, prima Litterâ simillima l' Graeco: et quia Gens GAVIA in ipsis *Marsis* illustris legitur apud Fabrettum in *Columna Traiana*; Apud Romanellium III. pag. 195. 196. et PAVIA ignota. 2. PACUIES, PACUIUS sive PACUVIVS cognomen *Oscum.* 2. MEDIS, MEDDIX Magistratus Oscorum notissimus. 4. VESUNAE Nomen Civitatis, Oppidi, Pagi, quo *Gavius* iste erat *Meddix* et *Praetor.* Atqui est etiam modo ad Lacum Fucinum, ubi *Lamella* inventa est, oppidum dictum AVEZZANO, in quo ob aequam homiophoniam illud VESUNE possumus iure agnoscere. Quod si Oppidum hoc AVEZZANO plane recens esset ha-

bendum, tum *Oscum* VESUNE posset agnosci in Marso BISINO VISINO Pago dubio procul vetere, et de quo non pauca adnotavit Phoebonius de *Marsis* p. 103. 104. 105. 4. DUNOM DED: Haec duo Vocabula Latina puto *Donum dat.* Nam a vetustissimis temporibus Colonias *Albanas* et *Latinas* ad *Lacum Fucinum* missas certum est, et *Alba Fucensis* plane clara. 5. CACUMNIO: In Lamella CA-CUMNIOS. ex prava interpunctione in Veteribus Inscriptionibus omnis generis frequentissima: Ut vel ex unis exemplis, quae collegit et protulit Antonius Lupus in *Epitaph. Sanctae Severae* quisque novit; Qui etiam primus protulit Inscriptionem in Sabinis inventam, Lamellae pariter aeneae inscriptam, in qua legeretur IOVIS CACUNIUS, de qua multa inepte cavillatus aliis reliquit illam illustrandam. Secunda Inscriptio IOVI CACUNIO posita in ingenti trabe lapideo invento in monte dicto *Petra Demone* celsissimo iuxta montem *Pennecchio* etiam in *Sabinis*: quae edita sunt in *Act. Academ. Rom. Archeol.* Tom. I. anno 1821.

Huius autem IOVIS CACUMNII quantum scimus, nemo Scriptorum Veterum meminit; et nemo recentiorum illustravit naturam, et characteres aperuit, et definivit: Non est tamen desperandum: Nam si dubitare non possumus quin summa arte, sollertia, cura *Nomina divina* fuissent condita et imposita a Collegiis Sacerdotalibus, ex ipsa *Nominum* analysi possumus et naturam et characteres *Dei* certo et claro modo colligere et tenere.

Et omnium primum quum חוחים CUCIM, CACUM sint *Vertices montium* alti et celsi, Scopuli praerupti, rupes, et נוה NUE *sedes habitatio*, statim sentimus cur *Cacumnius Iupiter* in *praecelsis* montibus cultus fuerit; et adeo habendus sit idem ac *Iupiter Capitolinus* Romanorum, Ακραιος Graecorum, et *Penninus* plurimorum Italorum. Sed tamen adhuc parum est, et *Sortes Penninae* huius *Iovis Cacumnii* aliud

Etymon et homiophonon expostulant: Nempe אמן-חכה CKE-AMN, qui *loquitur*, aperit, tradit אמן AMN *vera*, *veridice*, *sincerus*; vel etiam חכה CHKE *spes*, *fiducia*, *expectatio*, praestolatio, אמן, AMN *veracitatis*, *sinceritatis*, *fidelis*, *sincera*. Quin aliud Etymon postulat Iupiter CACUMNIUS Inscriptionis nostrae, in qua est dubio procul *Salvator* et Σωτηρ: Scilicet est כוח-מני KUCH-MNI, qui nempe *largitur*, *praebet*, *dat* מני MNI: *robur*, *vires*, *opes*, valetudinem כוח KUCH, est nempe CACU-MNI-US. 6. SCETUR est Semiticum שתר SCETER *servatus*, *reservatus*, *reliquus*, ex qua ipsa radice ablato sibilo, factum puto Latinum *cetera*. Istum igitur *Gavium Pacuvium* in aliqua publica lue *servatum* et *salvum Iovi Cacumnio Servatori* munus Eucharisticum persolvisse tenendum est, et fecisse partim Latino, partim Osco sermone.

II. *Inscriptio Marrucina.*

AISOS PACRIS TOTAIMAROUCAI LITS ACNAS I IIRINTIIR AVIATAS TOUTAI MAR IULAI OVIIS PATRIIS OCRIIS TARIM CRISU OVIAS AGINII IAIICI VCAGINII ASUMBARU IOLII IINISII IIRINT RIIGII ..A ...RI I RII MVIA PAR.. IITVA MAM ATIIM SVINAM.. N.. TAI.. IT.. POPID...

Haec Latinis et veteribus literis per XII. versiculos adsculpta Laminae aeneae olim suspensae et adfixae, inventae in Regione Marrucinorum, decimo circiter milliario a Teate: quam modo habet D. Ignatius de Cicco in Rapini Oppido: Exscripsit sedulus Iuvenis Ambrosius Carabba, ex cuius Apographo nostrum utcumque deductum: Nam nonnullae literae videntur idioethnicae, et aliae tempore absumptae. Tum Dialectus insolentior, Eugubinae, sive Latinae Priscae propior: unde erit Latinistis pronior et latior commentandi via. Quid de subiecto et materia Inscriptionis alii cogitaverint, equidem modo nescio, nec si scirem aliquem hic *agnas* et *oves* invenire, pro-

ficere inde possem: Nam hac *Lamina* egomet teneo exhiberi publice propositum et adfixum: ***Plebiscitum*** Marrucinorum ad cogendam et ***parandam Annonam,*** ex solita illa et constantissima Sapientia Oscorum Plutarchica, quam indicavimus: et ideo vertimus: ***Socialis Censio Regionis Marucinae, adsociatio Familiarum possidentium et locupletum. Magistratus*** (Gentis) ***ex fructibus Patriorum agrorum, Primitias, arvorum satorum fructus servare in horreis convenienter moneant, et asservare totam annonam perutilem, asservare in horreis multas divitum collectas. Simul explicet Censor singula peccata in legem, et adiuvet alimento inopes et miseros.*** Nam:

1. AISOS: vel est אשיש ASIS *fortis*, ***firmus***: vel ab עשה OSE AISE *factus*, *effectus*, *formatus*: vel עיש OUS AISU *collectus*, congregatus, ex collectione et congregatione: ut sunt *Consilia* Gentis. 2. PACRIS, IS-PACR: vel a בקר BQR inquisitio *visitatio inspectio*, sine qua *Census*, et *Annona*, et ***Plutarchia*** non habetur: vel a פכר PCR *cogitatio*, ***consilium***, opinio, propositum, *Scitum*: 3. TOTAI: mihi non a *Totus* Latinorum, etsi non absurde deduci posset, sed a טע THO *Regione sede* loco: TAI est ipsum תאה TAE *definita*, *determinata*. 4. MAROUCAI, AI-MAROUC, AI ipsum אי AI ***Tellus provincia***: *Marrucinorum*. 5. LITS a לות LUT ***coniunctio unio adsociatio***. 6. ACNAS, AC-NAS, vel a נאס NAS ***homines,*** אח AC ***fratres, Fratriae, cognationes*** Fratriacae: vel a כנס KNS ipsum ACNAS, quod habuerunt Etrusci pag. 168. *Tent. Herm.* ***congregatio collectio*** cognatio. 7. II RINTIIR arbitror factum a Chaldaico ירת IRT inserta nasali IRINT ***possidere habere hereditate***, et addita Paragogica R. 8. AVIATAS ipsum עות OUT Pelasgice AVIAT, terminatione plurali addita AVIAT-AS ***divites, locupletes, opulentae.*** 9. TOUTAI: Si sequens vox est MAROUKAI, tum est

Regio Provincia, ut dictum paulo supra: Si est legenda sequens vox ut puto MAR. IULAI tum illud TOUTAI dicerem esse ipsum TOUTICUS ceterorum Oscorum: Nam דעת DOT TOUT est lex *Doctrina norma* et AI potest esse יאי AVI AI *congruens decens* conveniens, qui facit *congruere* et convenire. 10. MAR omnium Syrorum, ut saepe dictum, *Doctor Praeceptor*, IULAI, ut lego, nam in Ectypo, quod habui est IUIAI, nulla mihi sententia: Atqui IULAI est a יולה IULE *gubernare*, *regere*, *Senatus*, *Tribunal*, quod plane opportunum. Adeout *Mar-Iulai* est Magistratus, Doctor, Rector, 11. OVIIS, IS-OVI, IS ipsum *ex* Latinorum, יצא ITZA: ut diximus in *Tent. Etrusc.* OVI mihi est אבי ABI, AVI, vel בוא BUA *fructus*, *proventus*, *producta*. 12. PATRIIS OCRIIS, quasi Latina ex *Patriis Agris*, sed grammatice *Patriorum Agrorum*. Nam Oscis Patri-is, is-Patri est aeque ex-Patrum, *ex Patriis* Agris. 13. TARIM ipsum תרם TRM TARIM, quod *separatur dividitur segregatur*, *primitiae*, *donum*, *tributum*. 14. CRISU, ipsum חרש CRS *arvorum*, Agrorum *satorum*, qui *seruntur*, et coluntur semine, *aratro*, vomere. 15. OVIAS: AS-OVI: AS-ABI אבי AVI *fructus*, *proventus*, nempe cereales, semina cerealia. 16. AGINI, חצן, HTZN, AGN: Nam plures Gentes, ut plerique Rabbini Italici צ TZ in *Gia*, *Ge*, *Cia*, *Ce* Italicum invertunt, et inflectunt: *Servare*, *adservare*, custodire in Horreis Apothecis Cellis. 17. IAI יאי IAI, *convenienter*, *congrue*, decenter. 18. IKI יקה IQE IKE *moneant*, *admoneant*. 19. VC. כה similiter etiam. 20. AGINII, חצן HTZN AGN *servare adservare* 21. ASUMBARU, ut lego nam in Ectypo P non R, nempe AS-UMBERU, AS עש OUS *collectam coniunctam*, עבר OBR, UBR, UMBERE *annonam*, frumentum, annonarias fruges. 22. IOLII: יעל IOL *summae*, *utilitatis*, maximi commodi. 23. INIIS ipsum ענש ONS *mulctas*, *poenas* mulctatitias, damnationes

pecuniarias proprias Oscorum; Idiomatice Marrucinis, ut Chaldaeis IINIS. 24. IIRINT, ut dictum paulo supra, *possidentium*, *possessorum*: Nam *mulcta* unos *possidentes* poterat attingere. p. 10. 11. 74. 75. 25. IGINI: nempe חצן HTZN *servare*, *adservare*. 26. MVIA Arabibus מעא MOA MVIA *simul una* etiam. 27. PAR ipsum באר BAR *declaret aperiat*. 28. IITVA Osci Magistratus nomen ab עתיב OTIB *vindex* inquisitor Censor redargutor. 29. MAM ipsum מאם MAM *quidquid*, omnes, singula, quaequae. 30. ATIIM Arabibus אתם ATM, אתים ATIM ceteris אשם, ASM *peccata*, culpas, errores in lege. 31. SUINA a סען SUO SUON adiuvans, iuvans. 32. AMN: Lego *Amun* ab אמונה AMUNE, quasi *Mamunae* et Mammona ceterorum *divitiis*, *opibus*. 33. TAI- ..IT. forte TAICIT a תחת TIIT *inferiores*, qui infra sunt, *pauperes*. 34. POPID, BOBID a בוב BOB; *vacuos*, *evacuatos*, *pauperes*, *inopes*: unde forte factum ipsum *pauper* quasi *baub-er* Latinorum.

III. *Inscriptio Amiternina.*

MESENE FLUSARE POIMUNIE ATERNOAUNOM HIRETUM.

Ex Cippo lapideo invento circa *Amiternum* exscripsit haec Iuvenatius, et edidit Lanzius Tom. III. *Saggio* pag. 618. et Lupulus in *Inscr. Corfin.* pag. 61. Lanzius in MESENE FLUSARE nescio quam *Mensam* πλευριαν videbat, in POIMUNIE *Pastores*, in ATERNO-AUNOM *Amiternorum*. Lupulus brevius rem conficiebat scribens: *Mensa Flusarae Poimunie-Aternanorum ad Hiretum*. Nobis est: *Cippus discernens agros*: *Partem tributam indicans Populo fontis Aterni*, *et Populo Hireti*. Nam:

1. MESENE: In Inscriptione Latina in proximis locis inventa, et a Muratorio relata Thes. II. pag. 587. legitur MENSE FLUSARE probabiliter eodem sensu ac MENSA Romanorum: quae vocabula facta arbitror a

Semitico מ-שען M-SON litera ע *Huain* a Pelasgis reiecta M-SN MESENE *fulcrum*, *basis*, *Cippus*, cui homiodynamicum est מ-ציון M-TZIUN, MSIUN, M-SIUN suavius *Me-Sene Titulus*, *Cippus*, res aliqua eminens prominens. 2. FLUSARE: FLUS-ARE, FLUS ipsum פלס PHLS *dirigens rectificans aequans dividens*: ARE est ipsum ארעא AROA, Pelasgis ARE vel ARVE, unde Latinorum ARVA ארע *Agros*, *Campos arva*. 3. POIMUNIE POI-MUNIE; nempe POI, PE פה, PE, *partem*, *portionem*: MUNIE מני MNI *tribuens*, *adsignans*, *definiens*. 4. ATERNO, in Ectypo Lanzii deest E. sed restituendum nemo esse potest qui ambigat. Aternus enim est fluvius plane celebris, et lectio hîc certa. 5. AUNOM, OM-AUN, OM עם OM *Populi Gentis* Tribus: AUN עין OIN *fontium scaturiginum*, ubi scilicet sunt *fontes*, *Fluvii Aterni*. Nempe *Aternaunom*, quod Oscum et originale nomen praesentis *Amiterni*, quod nomen significat modo *Populum* AM אמי AM, עם OM *Aterni fluminis*, et olim *Populus* עם OM, *ad* עין OIN, *fontes Aterni*. 6. HIRETUM, UM-HIRET; עם OM, *Populus Civitas Hireti* Urbis in *Sabinis* clarae. Suntque adnotandi ad rem versiculi Virgiliani ex VII. Aeneid. v. 711. » *Una ingens Amiterna cohors*, *priscique Quirites* » *Hereti manus omnis*.

CAPUT III.

INSCRIPTIONES VOLSCAE.

I. DEVE DECLUNE STATOM SEPIS ATAHUS PIS VELESTROM FAKA ESARISTROM SE BIM ASIF VESCLIS VINU ARPATITU. SEPIS TOTICU COVEHRIU SEPU. FEROM PIHOM ESTO. ECSE COSUTIES. MACA TAFANIES. MEDIX SISTIATIENS.

Haec inscripta Latinis sed veteribus literis in lamina aerea inventa in Agro *Veliterno*, adeoque servata pridem in Museo Borgiano *Veliterno*; modo in hoc Museo Borbonico. Edidit primus Lanzius *Sagg.*

III. pag 616. Accuratius ex Ectypo genuino Fr. Paulinus a S. Bartholomaeo in *Diss. de Latin. Serm. origin.* pag. 8. hinc Guarinius *Comm.* I. p. 14. Latinis Literis, ut nos: ita Finatius in *R. Museo Borbon.* III. pag. 124. aliique. Explicare autem et vertere tentarunt, quantum quidem novimus, Lanzius, Guarinius, Oriolius, Parchetus homiophonias saepius Latinas, quandoque Graecas pertinaciter captantes. Quas qui amat ab Interpretibus petat. Nos contra Linguam Parentum maximi Octaviani Augusti Veliterni, et Volsci Ciceronis per Lexicon Noachidum potius explicamus, et arbitrati agi in Lamina de magno solemni et publico *Lustro*, et Sacrificio *Chronico* ita vertimus: *Edictum venerandum constituit Populus Gentis. Praeco Tribus Velestrorum agat ad Lustrum Arietem*, *Bovem*, *Herbas*, *Fructus vesculos*, *Vinum condítum*; *Dictator Gentis genuflexus adiuret*; *Victimas igni imponat. Numeret Censor*, *puniat Inquisitor*, *Praefectus Iuri dicundo ordinet Classes Hominum*. Nam:

1. DEVE est ipsum דבה DBE DVE DEVE *Verbum*, *verba*, *sermo*, *iussum*, *edictum*, *decretum*. 2. DECLUNE: vel est a זכר ZKR Chaldaice דכר DKR *memoria reminiscentia memoriale* ad memoriam faciens quasi DECRUNE: Vel potius est ipsum DECLUNE a דחל DCL DECLU דחלן DCLUN *timendus*, *colendus*, *venerandus*: quod ad rem; agitur enim de maximo et *Lustrico* totius Gentis *Sacro*. 3. STATOM STAT-OM. STAT est ipsum שתת STAT *statuit*, *posuit*, edixit: OM עם OM *Populus*, Civitas. 4. SEPIS Hac voce totam *Gentem* intime et certis vinculis Sanguinis derivationis generationis coniunctam indicari puto: illam nempe quae ad *Lustricum* Festum per suos sive Electos, sive Primores, Seniores, Ditiores, Patres concurrebat. Et hoc SEPIS Volscum puto esse vel simile vocabulo SUAEPIS *Tabulae Bantinae*; vel potius fuisse a שעף-איש SOP-AIS, nempe a שעף SOP,

Propago, *ramus*, *diramatio*, processio. et איש AIS, *Hominum*. Deduci etiam posset a Semitico שבט, SBTH SEBITH, SEPITH *tribus*, certa hominum societas ex certis patribus; sensu opportuno; Sed conversionem ט in s non probarem, nec umquam adeo in meis homiophoniis recepi. 5. ATAHUS est omnino Syrorum חדש DHS, ADAHUS, Volsco ore *Atahus*: *minister*, *administer*, *Praeco*. 6. PIS Vox *Oscorum* idiomatica *Tribum*, *Sectionem*, פס PIS *partem* Gentis, פסא, PSA significans; unde factum ex TRI-PIS *Tribus* Romanorum. 7. VELESTROM, nempe *Veliternorum*, reiecta tantum s, VEL-ETROM. Cuius nominis Etyma eadem arbitror ac FELATRI VELATHRI, sive *Volaterrae* Etruscae, quia et haec *Oscae* originis non Tyrsenae genuinae: Nempe a בעל BOL BAAL, תרי TRI *Duplici* sive *Mercurio* Atlantio Arcadico, et adeo *Volsco*. Etyma vero vocis VEL-ESTR-OM duco a בל BEL *Baal* שתר STR *protegens*, *defendens* עם OM *Populum*, vel עם OM *Populus Baalis tutatoris*. 8. FAKA, non a Latinorum *Facio facis*; Nam, ut patet ex ipsa Inscriptione, non erat is ATAHUS, qui peragebat Sacrificium, sed SEPIS TOTICU: At omnino est a פיקא PHIKA, PHACA *agat*, *adducat* pompam, solemnem deductionem rerum sacrificandarum et offerendarum. 9. ESARISTROM; Vox Idiomatica et propria solemnis Sacrificii *Lustrici Veliterni* facta, ut credere par est, multa sagacitate et prudentia: Nempe ab ESAR-IS-TR-OM. ESAR שער, SOR, *aestimare*, *censere*, *percensere*: IS איש AIS *Homines*, quin יש IS *substantias*, *res*; תור, TUR, TR *lustrare*, *perlustrare*, *scrutari*, explorare, imo טהר THER, TR, *purgare*, *purificare*, mundare: עם OM *Populum*, *Civitatem*, Gentem: Hoc *Lustrum* est: quam Romanam vocem factam a LUS-TR-UM simili sollertia et sapientia arbitror, nempe a טהר THER *purificare*, *purgare*; עם OM *Populum* a LUS לזה LZE, ab *iniquitate*, *perversitate*, *pecca-*

tis suis. 10. SE, ipsum שה SE *aries*, *ovis*, *agnus*; unde possumus agnoscere partem saltem Romanorum Suovetauriliorum. 11. BIM ipsum בהם BEM *pecus maius*, pecus magnae molis, *bos*, *Taurus*; Et *maxima Taurus Victima*, ut latini Poetae canebant. 12. ASIF ab עשב OSB OSIB OSIF ASF *Olera*, *Herbas*, *Plantas hortenses*. 13. VESCLIS, IS-VESCL: IS יש *substantias*, בשל BSCL VSCL VESCULAS *maturas*, coctas, percoctas, quae edi et *comedi* possint nullo damno: semina potissimum Cerealia. 14. VINU ipsum VINO Latinorum, ab יין IIN VIIN *Noachico*. 15. ARPATITU *conditum*, *medicatum* a רפא RPA ARPE *substantia medicata*, *pharmacum*: vel ab ערב ORB ARP *miscere*, permiscere res dulces, unde *Arferia* Festo *aqua Defunctis* oblata, certo *condita* et *medicata*. TITU a תאה TAE *definire*, *statuere* per certas definitas et statas substantias *conditum* et *medicatum*. 16. SEPIS, *Gentis* ut dictum. 17. TOTICU, דעת-יקה DOT-IQE, IKE *Iuridicus*, *Iurisperitus*: דעת DOT *legum Iuris*, regulae, normae, יקה IKE *monitor vindex Praetor*. 18. COVEHRIU: Vel est a קערה QORE KORE orc Pelasgico, KOVEH-RE *Patera Scypho* Vase ad magnas libationes opportuno: Vel est a קעד QOD *Kovehde* D in R conversa *procidens procumbens*, genuflexus. 19. SEBU שבע SBO *adiuret* Deos, *coniuret* Numina, Vota solemnia nuncupet pro Gente Populo. Graecis est σεβομαι. 20. FEROM ipsum פרימה PHRIME FERIME *Victimam Hostiam*. 21. PIHOM ipsum פחם PHM *carbonibus ignitis* prunis, *igni* imponat, quasi summus Gentis Sacerdos, et *Holocaustum* divinum absolvat, in expiationem peccatorum totius Populi. 22. ESTU שות SUT *ponat imponat*. 23. ECSE: In Lamella ex legibus Crypticae Scripturae: EC-SE: Sed vox genuina ECSE, nempe כסס KSS KS ECS *supputet*, *calculet*, *recenseat*, dinumeret. 24. COSUTIES COSUTI-ES, ES איש AIS *Hominum*, *Personarum* COSUTI, כסת KST *Supputa-*

tor, *Calculator*, *Censor* a כסס KSS *calculare supputare*. 25. MACA: in Tabella aerea MA-CA: Solitâ Crypticâ Cacographiâ: MACA est a מחה MCE, *delere*, *abolere*, *removere*, *abradere*; Vel a מכך MKK *deprimere*, *affligere*: Illos nempe qui *Censum* suum imminuissent, qui fuissent stulte prodigi, vel qui ob facinora *mulctati* pauperes facti essent, et adeo essent abradendi a Classibus Civium sublimioribus ditioribus honestioribus, et deprimendi in Classes humiliores et tenuiores. 26. TAFANIES; TAFA-NIES. TAFA Volscum ipsum TABOO Salentinorum, a תבע TBO TABO TAFA *vindicare*, *ulcisci*, *iura*, leges, mores receptos, instituta Patrum: NIES a נסע NSO active *transponere amovere removere*: Scilicet qui Cives a Classe in Classem transferebat. 27. MEDIX Summus Gentis *Doctor Praetor Iudex*. 28. SISTIATIENS: SISTI-ATIENS: qui ששת SST *ordinat*, *disponit*, digerit in ordines suos, in Classes suas: ATI OTI עת OT *opportune convenienter*, per עות, OUT AT divitias opes bona: ENS ANS אנש ANS *Homines Cives* Veliternos: Quae ordinatio Census accurata et plena est documentum Sapientiae *Oscorum* socialis et Plutarchicae.

II. COSIT SOSET SURA.

Haec literis Latinis sunt exarata in Cylindro plumbeo, qui olim *Aequipondium* Staterae fuit. Appendit paulo minus ac uncias duodecim, adeo ut addito uncino, qui periit, *libram* Romanam prorsus exaequaret. Hoc autem *Aequipondium* servatur modo in hoc Regio Museo: Olim tamen fuit in Borgiano *Veliterno*: et dubitari non potest, quin in Velitrarum agro fuerit inventum, tum quia Latinis literis sit exaratum; tum quia Dialecto *Ophonica* non *Uphonica* sit descriptum. Verba autem proposita, et adscripta naturam ipsius *Aequipondii* clare significant et demonstrant. Nam;

1. COSIT est ipsum כסת KST *numerat*, *adnu-*

merat, ut vidimus modo in COSUT-IES Veliternorum. 2. SOSET est שׁשׁת SST *sistit*, *statuit*, constituit, ut vidimus apud eosdem Veliternos. 3. SURA שׁער, SOR SUR *mensura*, *metrum*, pretium, quod aequipondium Staterae praestat et facit.

CAPUT IV.

INSCRIPTIONES UMBRAE.

I. *Inscriptio Assisiensis.*

AGER EMPS ET TERMNAS OHT. C. V. VISTINIE NER. T. BABR. MARONMEI VOLSINER PROPARTIK. T V. VOLSINER SACRE STAHU.

Apud Muratorium in *Thes. Inscription.* Tom. IV. pag. 2102. Maffeium in *Mus. Veronens.* pag. 470. Vermigliolium *Iscriz. Perug.* 1. et 2 *edit.* p. 115. et *Opuscul.* I. pag. 1. ad 20. etc. Is autem habuit Perusinam et Etruscam, quum sit Assisiensis et Umbra, et eorum Umbrorum, sive *Oscorum*, qui essent *Ophonici*; ut numquam Etrusci, plures ex *Oscis*, ut Lucani, Messapii, Siculi, Volsci. Versionem a Vermigliolio datam nobis absurdam, qui vult ab eo petat. Nostra est huiusmodi: *Agrum divisit et terminos designavit Caius Velii filius Vestinius*; *Nero filius Titi Babrius cum Marone Volsinerio Vectigal imposuit*: *Titus Velii filius Volsinerius lapides terminales constituit hic.* Nam:

1. AGER est ipsum AGER Latinorum, vox aeque *Osca* et *Umbra*, ut patet ex Tabulis Engubinis: **sed** minime hactenus *Etrusca*. Est ex Noachico אכר AKR *Oscis* quidem indeclinata vox, unde hic *agrum* **vertimus**, sed Noachicis etiam *aorista*: Quia etiam אכר AKR **est** *Agricola*. Est autem AGER a כרה KRE *fodere*, *effodere*; unde ה-כרה E-KRE A-GER, quod *foditur*, *effoditur*. 2. EMPS AMPS absurde *emptus*: Nam nullus *ager* emitur absque *aestimatione*, et nulla *aestimatio* haberi potest, nisi limitibus et *ter-*

minis constitutis: Sed EMPS est a Noachico אפס APS emphatice AMPS *divisus*, *partitus*, et adeo *divisit partitus est*. 3. ET quoniam sententia non adversatur potest haberi ut ET Latinum, ex quacumque origine: Sed potest etiam esse Semiticum את AT *ad iuxta secundum*. 4. TERMNAS *Terminos*, Vox *Osca*, *Latina*, *Eugubina*, nempe vetustissima *Italica* Idiomatica, non hactenus *Etrusca*, quibus *Thurmna* diversissima. Vox facta a תור-מני TUR-MNI: quia *Termini* definiunt מני MNI, *tribuunt* modum *lustrandi* תור TUR *perlustrandi* circumeundi agrum. 5. OHT a חטא, HTHA HTA AHT, vel חטט HTHTH *Sulcos trahere lineas ducere*, designare, describere. 6. C. V. VISTINIE: Nempe *Caius filius Velii Vestinius* ex peculiari more Osco vel *Umbro*, ut patet ex Inscriptione Assisiensi Latina, quam Smetius, Gruterus, Vermigliolius adtulerunt. 7. NERO T. BABR: est ipse *Nero Babrius Titi filius* Inscriptionis Latinae Assisiensis apud Vermigliolium pag. 8. et alios. 8. MARONMEI VOLSINER, in Lapide prave VOISNER. MARONMEI autem MEI-MARON, et MEI est מע MO, vel עם OM *cum*, *una*, *simul*: Scilicet is est ipse *Volsienus* adhuc *Maron* Inscriptionis Latinae, coniunctus cum *Nerone Babrio* etiam *Marone*: Ex qua Inscriptione et plurali numero *Marones* certo tenendum *Maron* Assisiensibus fuisse nomen Magistratus, praefecti Rebus publicis, ipse omnino quem *Nolani* dicebant MARAI, ut vidimus pag. 98. 99. *Marai* מראי MRAI Syrorum et Palaestinorum *Doctor*, *Magister*: מרן MRN, מרון MARON. 9. PROPARTIK: Vocabulum mihi non foeda corruptione vocum aliquarum Latinarum, vel inepta adsociatione factum, Sed *Oscum* proprium idiomaticum profunda sollertia et mira felicitate compositum a PRO פרי, PRI, *fructus proventus producta*, PAR פרר PRR *partiri dividere secare*, et TIK תך TK *vectigal*, *tributum*, *aestimatio*, *mulcta*. Scilicet *designatis finibus et li-*

mitibus AGRI, *fructus* eius probabiles *aestimarunt*, et *Vectigal* sive *tributum* aequum PROPARTIK imposuerunt, *adsignarunt*. 10. T. V. VOLSINIER *Titus Velii filius Volsinerius*. 11. SACRE Vox *Osca* et *Umbra*, hactenus non *Etrusca* fit a צחר TZCR, SECR *lapide petra*, et זכר ZKR SACR *memoria recordatione*; lapides memoriales, terminales, finales. 12. STA שות SUT STU *posuit constituit fixit*. 13. HU הו EU HU *hic hoc loco*.

II. *Inscriptio Cortonensis*.

ARSES BURSES SETHLANL TEPHRAL APE TERMNU PISE STESTU.

Haec insculpta Lapideo disco invento in Agro Cortonensi, qui impositus fuerat Podio cylindrico duorum vel trium pedum alto. Ludovicus Coltellinius Tom. IX. *Academ. Corton*. p. 1. primus edidit et illustravit 1790. tum Fridericus Munterus Danus, ut colligitur ex *Bullett. Philolog. Ferussaci*. 1824. p. 225. 227. Uterque habuit ut *Etruscam*, et plane falso. Nam ex Vocabulis adhibitis in Inscriptione, quae Etrusca sunt, sunt corrupta, reliqua Osca sunt, non Etrusca. Neque id mirum. Nam Cortona ab initio *Umbra* sive *Osca* fuit, non Etrusca: et quamvis ponatur et habeatur vi capta et occupata tum a Tyrsenis Thessalicis, tum deinceps a Lydis, numquam potuit sermonem suum *Oscum* penitus deponere, et Etruscum adsumere; maxime mature Etruscorum imperio imminuto, et Romanorum aucto. Inscriptionem autem vertebat Coltellinius: *Avertas ignem Vulcane, in cinerem redigens apud Terminum. Piatus esto*. Quae certe nec ipse Coltellinius intelligere potuit: Munterus vertebat: *Ignem averte Vulcane Victimarum carne post Terminum. Piatus esto*. Quae potiora non sunt. Atqui si hi Literati Viri tanto ardore homophonias Latinas Graecasque captabant, cur potius et satius non verterunt: *Ignem averte, Vulcane, Incendia prohibe*: *Ter-*

minum Pestilentiae statue? Nam prioribus vocabulis, quasi certis praetermissis: TEPHRAL a τεφρωσει, vel τεφρω significabit *redactionem in cinerem*, *conversionem in cinerem*: APE *prohibe*, *longe habe*, *arce*, *compesce*: Nam Festus in *Voce*: APE *apud Antiquos dicebatur Prohibe*, *compesce*. TERMNU: *Terminum finem*: PISESTE. *Pestis*: Nam Festus in *Voce*: *Pesestas dicebatur Pestilentia*. STA *pone*, *statue* fige. Sed haec interpretatio probari non potest. Nam si ARSES BURSES est *Incendia averte, prohibe*; quid cedo, addere *Tephral ape*, redactionem *in cineres prohibe*? Praeterea non erigitur sive *Ara*, sive *Monumentum* perenne et perpetuum, ut oretur Deus, quo *Pestem* adhuc *grassantem compescat*. Quamobrem, nos nec Festo, nec alteri Latino Grammatico obaudientes, sed vetera et Noachica de more investigantes vertimus: *Arceas incendia*, *Vulcane*, *Larem serva*: *Terminos Tribus immotos fac*. Nam:

1. ARSES BURSES sunt ex Dialecto Umbrâ corrupta ex ARSE BERSE Etruscorum genuinis, de quibus diximus in *Tentam. Hermen. Etrusc.* pag. 99. 100. et interpretati sumus: *Averte ignem noxium*, *cohibe incendia*, nempe הרם ERS ARSE *compesce*, *cohibe*, *arce*. BUR-SE בער-שאה BOR-SAE *incendia vastantia*, *desolantia*. 2. SETHLANL corruptum ex SETHLANS genuino, ut vidimus in *Pantheo Etrusco*: Respondet *Vulcano* Latinorum. 3. TEPHRAL: Vox TEPHRE legitur saepe in *Tabulis Eugubinis*, et etiam *Iovie Tephre*: Sed nunquam significatione plane manifesta et certa. Mihi TEPHRAL ipsum fit a TA-APHRAL: Nempe TA TE תא *Tabula*, *podius*, *thalamus*; AL אל AD, APHER אפר APHR, *cineres* recipiendos suscipiendos: scilicet *Focus*, *Podius Foci*, sedes locus *Ignis* domestici, et quotidiani, *Lar Laris*: Qui *locus* prorsus *Vulcano* sacer et proprius. Quod si TEPHRAL est quasi צבר-אל TZBR-AL *Familia*, *coetus*, *congregatio* hominum ad certum locum, vel potius et satius *locus*, ad quem *Familia*

domi coit et congregatur, sententia plane opportuna et aequa est; et probabile est in *Tabulis Eugubinis* hac ipsa significatione sumi. 4. APE אבה ABE APE *ama dilige*, עפה OPE APE *sana*, *medere*, *saluti sis ;* יפא IPA ופא UPA *imple adauge comple*. 5. TERMNU: *Terminum Terminos*, fines, confines: Vox Osca, ut diximus supra. 6. PISE: Vox etiam *Osca* Idiomatica et receptissima, non Etrusca, est פסא, PSA *sors pars portio* gentis, Tribus. 7. STA STU, Vox ingeminata ad maiorem vim, a שות SUT *ponere figere*, statuere. Scilicet oratur *Vulcanus* magnus *Cabiricus*, non minutus ille et ridiculus Vulcanus Graecorum, de quo saepe egimus in Pantheo et Hierographia Etrusca pag. 5. 7. 27. ille ipse, qui cum Vesta et Stata Matre non Domorum tantum foco et Estiae praeesse; Sed centrum et fines Mundi habere et regere, et qui posse etiam facere fixos et immotos fines Populi et Gentis TERMNU PISE credebatur.

III. *Inscriptio prima Tudertina.*

AEIAL TRUTIU ISPUN UMBERE.

Haec inscripta sunt Statuae aeneae militari nuper (1835) Tuderti in Umbria repertae: Plures literati Viri certatim legere atque explicare adlaborarunt Cicconius, Secchius, Lancius, Vermigliolius, Campanarius, Deminicis: Quorum versiones et diversas et adversas nobis improbabiles vel ex propriis Opusculis petat Lector curiosus, vel ex *Bullet. Archeol. Roman.* ann. X. 1838. pag. 113. - 128. Nos autem vertimus: *Supremus director et Custos Annonae.* Nam AEIAL est ipsum עיל OIL AEIL *summus supremus*. 2. TRUTIU, vel TRUTIN ut alii, vel TRUTIT, ut alii legunt levi differentia, est nobis a תרץ TRTZ TRTS *dirigere*, *regere*, *rector*, *director*, *moderator*: Quod si hoc TRUTIU, ut ex dicendis paulo post suspicari possumus, est nomen Gentis, nil inde mali: possumus vertere: *Trutius supremus Custos, et Rector Annonae.* 3. ISPUN est a צפן TSPN sua-

vius SPN *Custos servator*, qui in custodia, in thesauris, in horreis, in tectis et obtectis loculis habet: 3. UMBERE, quae vera lectio pluribus ectypis collatis, ipsum עבר OBR UBR UMBR *annona*, *frumentum*, provisio annonaria, quae per *naves* defertur. Statua igitur erecta fuit praestanti Viro Umbro *publicae Annonae praefecto Curatori Rectori.* Atqui iuxta ipsam hanc Statuam aeream inventa insignis Monumenti fragmenta, et aliquot Inscriptionum reliquiae, ex quibus colligitur summa probabilitate hunc illustrem Umbrum dicendum *Q. Caecilium Atticum Tribunum Militarem*, *Praefectum Annonae*, *et Duumvirum quinquennalem*. etc. De quo etiam, et eius Fratre minimo in sequenti Inscriptione agi puto. Vid. *Bullet. Arch. Rom.* ann. 1857. pag. 26. 27. etc.

IV. *Inscriptio secunda Tudertina bilinguis.*

...KOISIS TRUTI F.. FRATER EIUS MINIMUS LOCAVIT ET STATUIT.

FT EK NFTI TRUTI KNI KFR NITU FRTU FNA KOISIS TRUTI KNOS

Haec lapidi Tudertino adscripta inventa sunt repetita fere eodem modo in una et altera lapideae Tabulae facie: quae nos ex una tantum parte exhibuimus excerpta ex *Giorn. Arcad. Roman.* Tom. 81. 1839. ubi Secundianus Campanarius explicandam frustra suscepit. Nam quum lapidis Sculptor vel Inscriptionis Auctor tum duplici tum parum claro Alphabeto usus esset, non omnes literas Interpres est assequutus, et quum F clarum et certum elementum fecisset A Inscriptionem totam fecit aliam, et vertit: *Attio Egnatio Druti filio Carinesio Arvania nato Koisis Druti filius.* Nos vertimus: *Postremus frater natus Drutius statuit decus aeternum praestanti Duci et Iudici Drutiae familiae.* Nam 1. FT ore Umbro a בצע BTZO, FTSO, Chaldaice FTS: qui *complet absolvit*, *finit*, *ultimus*, *postremus*. 2. EK aliis AC, ipsum אח AC *frater fratris.* 3. NFTI NBTI,

plane ipsum נבת NBT *natus ortus* productus. 4. TRUTI: *Trutius* ex Familia *Trutia*. 4. KNI, ipsum כון KUN *aptavit direxit* disposuit. 5. KFR KBR si a כביר KBIR est magnum *insigne*: Sed puto esse a כבד KBD, *decus, praemium, gloria, donum*. 6. NITU a נצח NTZH NITU *aeternum*, semper duraturum, *perpetuum*, ut aerea Statua: In Lingua Samscritica *Nitiam Nitia* est *semper*, res *aeterna* ac *perpetua*. 7. FRTU a פר PHR, unde Φέρτατος Graecorum, et *Endu-Perator* Romanorum, *illustris praestans*. 8. FNA פנה PNE, *Dux Ductor Princeps*. 9. KOISIS puto esse ipsum Arabum קאצי QATSI, KADI, ore Umbro KEISIS, nam illud O incertum, significat *Iudicem Iurisprudentem* in *Iure doctum Duumvirum iuredicundo* etc. 10. TRUTI *Trutiae* 11. KNOS vel KNEIS: ipsum כנס KNS KNES *familia, cognatio, congregatio*.

V. *Inscriptiones duae Amerienses*.

1. ..RUFI RUN.... HERINTIES ...IS .....TBRIS .A.S.H..THU THUI .T.I.BEN ...AHAT RUNIR.
2. ERUFIE RUNU ..HERINTIE ISTUI.. ....URTENTIUS .... ETBERIS ..T. .I. B.

Haec disrupta fragmenta repetitae Inscriptionis adsculpta laminae aereae inventae in agro Ameriensi in Umbria. Protulit Lanzius *Sagg*. II. pag. 467. 468. et hinc Finatius in *R. Mus. Borbon*. III. pag. 100. quia modo haec Lamella in hoc *Reg. Mus. Borbon*. adservatur. Lanzius de more Inscriptiones habuit Etruscas: quod non mirum, quum Tabularum Eugubinarum linguam funditus aliam ab Etrusca ipsam Etruscam habuerit. Nos habemus Umbras etsi alphabeto Etrusco descriptas, quia Umbri caruerunt Alphabeto proprio et Idioethnico, et ad lubitum adhibuerunt vel Etruscum, vel Romanum, et quandoque Graecum. Nam plura vocabula saltem hactenus non Etrusca, et si alia similia Etruscis, plane meminisse debemus omnes Linguas Pelasgicas *Oscam*, *Etruscam*, *Latinam priscam* in Italia fuisse Simi-

lares, omnes ex eodem Lexico fundamentali et homiophono constitisse ut iam satis indicatum in *Tent. Herm. Etrusc.* pag. 270. 274. Lanzius Inscriptiones non vertit, dixit tamen esse Necrologicas, et tres novas familias *Hortensiam*, *Herentiam*, *Atroniam* per ea nosci. Nos contra arbitramur Inscriptiones esse Liturgicas et *Necyomanticas*, et fragmenta etsi tenuissima et imperfecta suppeditare adiurationum Acheronticarum, quibus Larvae et Lemures adiurabantur ne viventibus noxae et terriculamento essent, et ne Reliquias suas et Cineres obsiderent amplius, et occuparent: quod factum quandoque a Sacerdotibus Etruscis in *Tentam. Etrusco* pag. 216. 217. vidimus. Ideo primam vertimus: *Iucundus Cantus.... iram Hominis* (placet), *ut a Reliquiis* abscedat. *Potens Cantus.* Secundam Inscriptionem vertimus: *Suavis Cantus iram hanc perdat .... Hurtensius .... Reliquias* (relinquat). Nam 1. ..RUFI. RUBI, ערב ORB *Suavis*, *dulcis*, *iucundus*, ערף ORPH *cantus Orphicus*, Tartaricus, Elysius, alterius Mundi: ut apud Arabes. 2. RUNE רן RN רנה RNE *clamare*, *canere*, *cantus*, *cantio*, *carmen*. 3. HERINTIE, HERIN-TI-ES, puto factum a חרון, HRUN, HERIN: *iram*, *furorem*, unde Ερινυς Hellenum, *indignatio* vehemens. TI τα זה TE hanc, vel huius istius: ES איש AIS *Personae*, *Hominis*, *Larvae*, *Lemuris*. 4. TBRIS, TBR-IS, TBR, Radix solemnis apud Etruscos ad significandas *Reliquias* defunctorum, ut vidimus in *Tentam. Herm. Etrusco*, יש IS *res substantia* etiam ad *aoristicismum* Radicis tollendum vel signum pluralis numeri. 5. THUTHUI, vel est DUDIU, דדה DDE *vagari*, hunc illuc *discurrere*, *deambulare*, scilicet oratur *Lemur*, ut cesset ab ista *vagatione*: vel est a טוע *obediat*, *auscultet*, fiat obediens subditus *Cantico* sacro, *obtemperet* precibus Sacerdotis, abscedat in locum suum. 6. AHAT, אחד quasi אחיד AHID Syrorum *potens*, *fortis*, potestatis vehe-

mentis 7. RUNIE: רנה RNE *cantus*, *carmen*, *oratio inclamatio*.

II. 1. ERUFIE RUNU: *suavis vox cantus iucundus*. 2. HERIN-TIE, *Iram hanc*, vel *iratum istum*. 3. ISTUI est שוט SUTH, ISUT, ISTU *obambulantem discurrentem errantem*, vel a שצא STZA SITUI ISTUI *comminuat*, *perdat*, *effringat*. 4. ... URTENSIUS: videtur esse nomen *Lemuris* et *Larvae*, quae circa Cineres suos *oberrare*, et furere crederetur. 5. ..TBRIS, *Cineres*, *Reliquias*.

VI. *Inscriptio Pisauriensis bilinguis*.

....ATIUS L. F. STE. HARUSPE.. FULGURIATOR. CAPHATES LR. LR. NETMEFIS TRUTNFT PHRQNTA C.

Hanc Inscriptionem lapidi adsculptam et Pisauri celebri Umbriae Urbe inventam et adservatam jamdiu ediderunt Fabrettus in *Inscript. Domest.* Cap. X. pag. 696. Bonarota ad *Dempst.* Tom. I. pag. 250. Academici Corton. Tom. II. *Praef.* pag. X. Oliverius in *Marmor. Pisauriens.* pag. 56. 57. Lanzius *Sagg.* III. pag. 652. aliique. Omnes autem hi literati Viri habuerunt Etruscam, etsi ne una quidem vox Etruscorum idiomatica in ea legatur. Ad eam autem explicandam et illustrandam pauca tentavit Oliverius circa ann. 1739. pauciora Lanzius 1790. persuasus etiam haec sibi plene non respondere. Unus q.. m sciam adhuc Mazochius noster vel ab anno 1742. relationem mutuam utriusque Inscriptionis plene conferre pro mira ingenii sui felicitate adgressus est, sed imperfectum reliquit opus, nec eius tentamina edita nisi Tom. III. *Opusculor.* pag. 155. 163. anno 1824. et supine ac negligenter.

1. CAPHATES: ita clare, et evidenter in versu Umbro. At prima pars vocis Latinae periit, unde multae et longae concertationes Interpretum. Adeout plures legere maluerint. T. ATIUS: alii F. ATIUS: Mazochius TIT. ATIUS prolixe et operose, sed minime feliciter contendens τὸ TIT. ATIUS, respondere τῷ CAFATIUS

At alii longe satius et probabilius mea sententia etiam in Latino versiculo scriptum putarunt CAFATIUS: ita ut plures ediderint ...FATIUS, ut Oliverius; et Lanzius non dubitabat scriptum L. CAFATIUS. 2. LR. LR. ut habent accuratiora Ectypa, et illud etiam a Lanzio datum Tom. I. Tabul. IV. non LS. LS, ut ipsemet edidit Tom. III. pag. 652. LAR. LAR vel LARTHE, LARTHE est perpetuus *Larthum filius*: quia Voces indeclinatae. An Etrusci adhibuerint umquam LAR mihi hactenus ignotum, Radicem habeo LARTH, ut in *Tent. Herm. Etr.* pag. 133. 134. demonstrare tentavi: Adeoque Umbrorum et Romanorum esse LAR, si hîc Radix, et non Sigla LARTHE. 3. NETMFIS: Vox respondens Latino STE. Sive STELLATINA, ex *Tribu Stellatina*: quod acute et vere vidit Mazochius, et animadvertit pag. 139. Arabibus נטם NTHM esse *Stellam*, Umbris NTM, aliquanto pressius. Sed idem Mazochius, non aeque feliciter vidit naturam voculae FIS. Nam habuit ut desinentiam et terminationem vocis praecedentis ignarus naturae Aclisiacae harum Linguarum: nec edoctus ab isto LAR LAR, de quo modo diximus. Atqui FIS Pisauriensium Etruscis ignotum est solemne, et receptissimum PIS omnium *Oscorum*, quo *partem*, membrum, *Tribum* Gentis significabant. Ita ut NETMEFIS sit *Tribus Stellatina*, et quia nulla Glossomorphe ex *Stellatina Tribu*. 4. TRUTNEFT: Respondet Latino *Haruspex*: Oliverius ad *Marmora* Pisaur. citata, et Lanzius loc. cit. pag. 652. deducebant a *Trutinando*: ita ut *Haruspex* esset quasi *Trutinans*. At si Vocabulum *Trutinare* proprie sumimus, tum *Haruspicem* non tam Lanium, quam Carnium venditorem facimus: Si metaphorice etiam fatuos facimus Patres nostros, qui tam imperite Vocabula Rebus imponerent. Dolet nec Mazochium in Etymo vocis adsignando felicem fuisse: Nam istud TRUTNEFT a nescio quibus STRUIBUS, quae ad arbores fulguritas

erant adponendae, et a nescio quibus *Strufertariis* arcessit. Nam Latinum STRU-FERT- ARI-US habet quatuor radices fere omnes claras et notas: Nempe est US-*homo*, ARI *ferens habens*, *struem*, *fertorum liborum* placentarum. Quid, cedo, simile in TRUTNFT? Sit TRUT *Strues*, quid tum? Sit NFT *agitatio*, *ventilatio*: Sit נפצ NFTZ *Fulgetrum*, quid tum? Atqui Haruspex non est *Fulguriator*, et *Haruspicina* longe alia Ars a *Fulgurali*, etsi utraque isti Caphatio inesset. At quis, cedo, est HARUSPECS Romanorum? Est qui HARUS הרס HRS HARUS *inspicit observat* considerat explorat. 2. PECS, PESC פיצח, PSC *lacerata divisa viscera*; ut (temurâ inversâ) SCEP צפה TSPE *visa contemplata percepta* signa. 4. SURAH שרה SRH SURAH *explicet interpretetur* Fata. Is Romanus HARUSPEX nomine solertissime condito. Quid porro Umbrorum TRUTNFT? Scilicet: qui 2. TRUT תור TRU, et formativa nominali adposita הרות TRUT, qui *explorat considerat*. 2. נבת NFT *intuetur*, *inspicit*, *considerat*. 3. TRU תרע TRO *divisa lacerata viscera*: Ut ex illis TN תן *det tradat*, 5. PT FTA בטא BTHA FATA *effata responsa fatalia quaerentibus*.

Ergo HARUSPEX Romanorum, et TRUTNFT Umbrorum sunt plene homiodynamica, et adeo ex intima et profunda ratione sibi respondent. 5. FRONTAK. Hanc vocem plures prave legerunt FRONTAC, nec aliud nisi corruptionem Graecae vocis βρονταω sciverunt deprehendere. At consideratis attente omnibus Ectypis palam est tertiam literam esse latinum Q. Etruscis ignotum, et vocem respondere Semitico ברק, BRQ FRQ, quod est *fulgurare*, *fulgura emittere*, *coruscare*: quod acute et vere Mazochius vidit, non aeque felix in altera vocis parte, quam iterum falso habuit ut productionem casuisticam praecedentis. At quis est *Fulguriator* sive Etruscis sive Umbris? Est qui loca vel corpora דכה DKE DEC pressius TEC et

nasali addita NTAC *tacta*, *attacta*, *percussa*, unde ipsum Latinorum TAGO, TACTUS, TANGO a ברק, BRQ FRQ *fulmine fulgure*: ipse ברך BRK FRQ *benedicendo*, *beneprecando*, orando, procurando, extruendo Bidentalia, נדח NDC NTC *depellit propellit*, mala omnia, tristia auguria, procurat sancte, scilicet est Umber FRQNTAC, quem *Fulguriatorem*, quo Idioethnico vocabulo appellaverint Etrusci Fulguralis Artis et Scientiae Magistri ignotum hactenus.

SPECIMINA HERMENEUTICA
IN TABULAS EUGUBINAS.

DISQUISITIO PRAELIMINARIS.

I. *De distinctione Tabularum Eugubinarum.*

Septem *Tabulae* aeneae *Eugubinae* etsi videantur unâ eademque Linguâ descriptae, haud tamen unâ et eâdem prorsus dialecto, haud eâdem literâ, et Alphabeto exaratae ad nos pervenerunt. Nam quinque ex eis fuerunt descriptae Alphabeto Etrusco, eoque aucto; Pronuntiatio *Uphonica*, ut Umbris, atque Etruscis: Paragogismus literae S. Reliquae duae *Tabulae* his ita ampliores, ut earum Scripturae quantitatem fere exaequent, scriptae sunt Romanis literis; Pronuntiatio *Ophonica*, ut Latinis, Volscis, Lucanis, Messapiis: Paragogismus literae R. De ipsis autem literis, et reliqua Orthographia Tabularum accurate et diligenter egit Richardus Lepsius in libello de *Tabulis Eugubinis.*

II. *De subiecto fundamentali Tabularum Eugubinarum.*

Apud Populos qui carent Bibliotheca communi et populari, apud Gentes, penes quas non sunt solemnes Poetae, publici Oratores, Historici clari, Geographi illustres: si quae *Tabulae* inveniantur descriptae, si quae durabili materiei insculpta detegantur, ea *Liturgica* et *Theologica* necessario sunt habenda. Nam omnium primo uni Sacerdotes, uni Pontifices Alphabetum norunt in his Gentibus, unique raro et arcane eo utuntur: nec nisi de intimis rebus suis, nempe de secretis *Formulis*, et *Ri-*

tibus Liturgicis. Quamobrem datis ex una parte *Tabulis* aeneis *Eugubinis* ignotâ adhuc lingua descriptis: et ex alia parte data Gente *Umbra*, *Picena*, atque *Etrusca*, quae caruerint Bibliotheca publica, ac populari, et quibus nulli clari Poetae, nulli illustres Oratores extiterint: necessario tenendum est harum Tabularum argumentum fundamentale esse *Liturgicum* et *Theologicum*, etiamsi ne unum quidem vocabulum harum Tabularum certa significatione caperemus. Quamobrem laudandus est Lanzius, qui de primo et fundamentali subiecto *Tabularum* recte sensit, et haec scripsit in *Saggio* III. pag. 658. 659. *L'argomento delle Tavole Eugubine non sono convenzioni di Popoli, come sospettò il Buonaruoti, non Treni di Pelasgi afflitti da varie calamità, come sentirono Bourguet, Gori, Bardetti; non parte riti, e parte anco Atti legali per donazioni o per liti di privati, come scrissero il Maffei, ed il Passeri; ma tutte riguardano le sacre funzioni or sotto un aspetto, or sotto di un altro.* At quum *Ius* Veterum *Pontificale* et Sacerdotale universam socialem Civium vitam comprehenderet, et omnia socialia instituta atque officia attingeret: ne hilum quidem in Interpretatione *Tabularum* profecimus, si tantum novimus agi in eis de *rebus sacris*, *religiosis*, et *Liturgicis.* Nam diversus est stilus, diversae Formulae, diversum Lexicum Liturgiae *Fulguralis*, *Haruspicinae*, *Auguralis*: Diversa Liturgia *Natalis*, *Nuptialis*, *Funebris*: diversa *Bellica*, *Pastoralis*, *Agricola.* Diversa et alia *Eucharistica*, *impetratoria*, *execratoria*, *expiatoria* etc. etc. Lanzius nullam a *Tabulis* exclusit, imo omnia Liturgiarum genera inclusisse vel ex Etymo suo *Fratrum Athierium* constat. Nam *athierios* dictos putavit p. 659. quasi ad-ιερεια. Tum subdit pag. 659o. *Ebbono però una procurazione molto più estesa che gli Ar-*

vali, e pare che fossero i Pontefici, i Curioni, i Flamini, i Ministri del Popolo per ogni Deità: Et adeo pro omni sacro ministerio et *Liturgia*. At haec prorsus falsa. Nam Nomen *Fratrum* non potuit tribui nisi peculiari Collegio, numquam universo Sacerdotum coetui, in quo tum per hierarchicos gradus plus minus eminentes, tum per diversissima officia numquam omnes unâ *Fratres* in quocumque sensu potuerunt appellari. Secundo, quia Etymon Vocis *Atierii* et *Atiersii* a Lanzio propositum probari non potest. Nam *Cognomina* sunt haec *characteristica*, et quibus non generica et communia; sed peculiaria officia significantur: Tum *Collegio sacerdotali* imperitissimum hybridismum tribuere atrox calumnia est: Neque in VII. Tabulis Eugubinis umquam occurrunt Radices AD, AT ἱερεια quae proponuntur. At si omnium Interpretum consensu, et adeo ipsius Lanzii, plures Phrases in his Tabulis *Eugubinis* leguntur, quae unice ad *Liturgiam Agricolam* spectant: Si *Fratres Arvales* apud Latinos celeberrimi, et ipsi quibus et Lanzius et alii *Fratres Atiersios* Tabularum comparারunt. 3. Si Vocabulum ATIERII longe potius factum est ab AT את AT *vomere*, *aratro*, et ארעא AROA *agro*, *arvo*: si ATIERSII factum videtur ab eodem את AT *aratro*, et חרש HRS, IERS *laborare operari terram*; 4. Si vox Classica et fundamentalis *Tabularum* GRABOVIE IUVE factum dicendum est a כרב כרוב KRB כרוב KRUB *Aratro*, et אוה AVE *amare*, *diligere*: ut sit Φιλαροτριος *Iupiter*, satius utique tenebimus de *Liturgia Agricola et Arvali* impetratoria, expiatoria, eucharistica agi in *Tabulis Eugubinis*, quod senserunt ante nos Carlius in *Antich. Ital.* Tom. I. pag. 48. et Marinius in *Fratelli Arvali* Tom. I Pref. pag. XIX. XX. etsi nullo aequo argumentorum momento hanc opinionem probassent.

III. *De aetate Tabularum Eugubinarum.*

Varias et adversas doctorum Virorum opiniones de aetate *Tabularum Eugubinarum* referre et refellere nec iuvat nec praestat. Satis est monere; Mazochium nostrum *Diatr. Tyrrh.* X. Opusc. Tom. III. pag. 137. non facere vetustiores Saeculo secundo Prochristiano. Lanzium *Saggio* III. pag. 691. *Tabulas Romano-Typicas* scriptas ponere VII. Urbis saeculo, et reliquas *Etrusco-Typicas* haud multo pridem. Lepsius in suo *libello de Tab. Eugub. Tabulas Uphonicas* atque *Etrusco Typicas* conditas putabat *sub finem saeculi quarti post Romam conditam* pag. 87. *Tabulas vero Ophonicas*, et *Romanotypicas*, scilicet *Eugubinas Tabulas Latine scriptas medium fere assequi sextum saeculum ab Urbe condita.* At Lanzius nullo prorsus gravi argumento coniectionem suam firmabat: Levibus et tenuibus Lepsius: scilicet ex forma et figura literarum: Atqui etsi egomet haec argumenta numquam penitus reiicerem; ex iis vero quae iam animadverterunt Maffeius in *Art. Crit. Lapid.* III. cap. 2. §. 3. Marinius in *Prefaz. ai Fratel. Arv.* pag. 36.37. Lanzius, etc. scio quam difficile sit ex iis unis aetatem Monumentorum definire et decernere: Et addere cogor nulla prorsus in ipsis Tabulis intrinseca et gravissima extare argumenta in forma, figura, et numero literarum, unde tenere non possimus has Tabulas vel secundo saeculo Christiano fuisse descriptas. Nam per hanc ipsam aetatem durasse hactenus Linguam et Scripturam Etruscam certum est, et Literarum formam figuram numerum non fuisse immutatam aeque certum. Praeterea adoptionem Alphabeti Romani prae Etrusco iam noto et recepto, non potest in Umbria constitui nisi post saeculum sextum Urbis medium, quum Populus Romanus » *post Punica Bella quietus* », ut Horatius scribebat, et literas colere, et linguam absolvere, et propagare, quin Imperium et dominationem in Italia

coepit adfectare et exercere, scilicet quum florebat Romae Accius Plautus Sarsinas Umber. Atqui *Tabulae Eugubinae Romano-typicae* insculptae fuerunt *anno CCC tercentesimo* a *Fratria constituta*, ut in earum fine consensu omnium Interpretum affirmatur. Ergo si Fratriam *Ophonicam* et *Romaeophilam* hanc circa annum Urbis 560 constitutam ponimus, insculptas Tabulas circa annum Christi 110. aeque et necessario ponemus. Quam aetatem ut universa Tabularum Orthographia minime refellit; ita alia plura et gravissima firmant et demonstrant. Et profecto omnium primo tenendum est ubi adhuc in aliqua Gente patria lingua, patrii mores, patrium Pantheum vel unice vel quasi unice vigent et florent; Tum *Formulas* et effata et Dogmata Liturgica, et Theologica acerrimo arcano condita haberi et servari a Collegiis Sacerdotalibus, vel unice memoriae et menti commissa, vel per arcanas notas et signa et Compendia literarum chartis commissa. At ubi Pantheum Patrium, Liturgia Patria, mores Patrii, Lingua Patria per externas et diversas Religiones et Liturgias oppugnantur, quibus sint libri, effata, lemmata, Hymni, Cantica, Formulae, et Dogmata claris Alphabetis descripta, tum Reliquiae Veterum Collegiorum Patriorum, tum antiqui *Sacerdotes* et *Pontifices* saepe hereditarii et nobilissimi veteres Liturgias et antiqua Dogmata sua, et sacras *Formulas* et *Patria Cantica* sua per certa et nota Alphabeta durabili materiei committere satagunt. Nam hoc pacto et memoriae suae consulunt, et volentes facilius et celerius possunt in patriis Ritibus instituere, facile spernentibus et negligentibus patrias Religiones possunt obsistere, et plures dubitantes, quia ignari in patriis moribus, firmare et continere. Atqui secundo saeculo Christiano is fere status Patriae Religionis in *Umbria*, et *Piceno*. Nam durare adhuc acerrima pertinacia Religiones veteres ex infinitis monumentis et docu-

mentis patet; imo plures persuasos quod vetera et patria potuissent intacta et secura per plurima alia saecula durare, vel post duo saecula Apostasia Iuliani Caesaris demonstravit. At ipso secundo Saeculo Christiano Patrium et proprium Systema Religiosum in *Umbria* acerrima etiam constantia oppugnabant Pantheum, Liturgia, et Lingua Romana; Pantheum, Liturgia, et Lingua Graecorum; Religio et Literatura Christianorum. Hae caussae maximae et aequissimae, ob quas *Collegium Arvale Umbricum* Pantheum, Liturgiam, et Linguam suam Patriam Tabulis aeneis per certa Alphabeta commissa externis Religionibus opponebat. Et profecto per hoc ipsum Saeculum, et ob easdem prorsus et ipsas causas conditi et vulgati 1. Libri *Hermetici* ab Aegyptiis. 2. *Oracula Chaldaica* a Chaldaeis. 3. Libri *Sanchuniatonis* a Phoeniciis, 4. Inscriptiones *Abraxeae* a Samaritanis Heliolatris, ut nos peculiari *Disquisit.* demonstravimus. 5. Systemata *Gnostica* a Syris; 6. Quin plerasque ex *Tabulis Fratrum Arvalium Romanorum*, et certe pleniores et insigniores per hoc secundum Saeculum conditas, ex plenissima collectione edita a Caietano Marinio Romae 1795. quisque potest deprehendere et nosse.

IV. *Linguam Tabularum Eugubinarum non ex plebeio et populari sermone foede desumtam, sed a nobilissimo Collegio Fratrum Arvalium accurate constitutam fuisse tenendum est.*

In omni Populo et Gente semper et necessario duae Linguae sunt, vel penitus, vel graviter discrepantes: Lingua scilicet *plebeia*, popularis, infima, et Lingua cultiorum, nobilium, *Sacerdotum*, certior, elegantior, purior. Huiusmodi autem extitisse Linguam *Tabularum Eugubinarum* haec plene demonstrant. 1. Primo quia Lingua est *Liturgica* et *Theologica*, ut superius iam animadversum est p. 173. 174. et Linguae *Theologicae* et *Liturgicae* apud omnes Gentes, quantum

rerum status pati potest, certae, fixae, nobiles, purae sunt. 2. Secundo quia isti *Fratres Arvales* fuerunt in tota sua Gente praestantissimi et nobilissimi: Tum quia in omni Gente Sacerdotes semper praestantiores; tum quia apud Romanos *Fratres Arvales* ex prorsus praestantissimis delecti erant, iam ab initio Civitatis Fabulâ conditâ ipsum *Romulum* fuisse *Fratrem Arvalem*, ut Plinius Libr. 18. c. 2. Gellius Libr. VI. c. 7. pag. 358. Fulgentius in *Arvales Fratres* p. 772. aliique narrant: unde factum, ut plerique Imperatores Romani usque ad III. saeculum Christianum adultum *Fratribus Arvalibus* adscriberentur, ut pluribus in *Prefaz.* animadvertit Marinius: Tum quia *Fratres Arvales Tabularum Eugubinarum* dicuntur in II. *Kum-nacle*, quod nos interpretamur *Collegium hereditarium*, et adeo nobilissimorum: Tum quia Tribus *Atierate*, sive *Arvalis* in Tab. VI. prima inter X. vel XII. numeratur. At nobilium lingua certior, elegantior, purior plebeiâ et populari, 3. Tertio quia Collegiis Sacerdotalibus Veterum Gentium, ut *Atieratibus Tabularum* numquam deesse potuit facultas, doctrina, scientia poliendi, figendi, augendi Linguam suam Theologicam et Liturgicam. 4. Quarto, quia Auctores harum Tabularum fuisse literatos et doctos Viros patet tum ex Scripturâ accurata et eleganti, tum maxime quia Alphabetum Etruscum augere sunt ausi, et universam suam Orthographiam figere et constituere, quod nisi a literatis et doctis viris praestari non potuit. 4. Quinto quia hae Tabulae ita servabantur remotae ab oculis et attactu Plebis, et minuti Populi; ut earum Auctores sub finem Secundae *Tabulae Romanotypicae expulsionem e Fratria* minati sint illi *Fratri*, qui eas *revelasset* Populo et Plebi. Haec enim descripta sunt *Tab.* IV. secundum Ordinem Passerii in *Calogerà* Tom. XXVI. pag. 270. in *Paralipom.* et in Lanzii *Saggio* III. pag. 766. APPEI.

ARFERTUR ATIERSIR POPLOM ANDERSAFUST SUE NEIP, PORTUST ISSOC PUSEI SUBRASCREHTO EST FRATECIMOTAR SINSA CCC.: *Insuper moneatur et sciat Arvalis Frater Populo indicare constituta Collegio expelli; Manifestare constituta, revelare profanis scripta et commentaria haec Fratriâ abire et removeri. Anno haec CCC.* Nam:

1. APPEI est ipsum אפפ APP *Insuper, ad haec.* 2. ARFERTUR, ARF-ERTUR, ARF ערפ ORF *sciat, discat, addiscat*: ERTU רתא RTA ERTA *moneatur praemoneatur*, sciat, iterum discat. 3. ATIERSIR Sacerdos *Arvalis*, ut explicamus ad Tabulas. 4. POPLOM OM-POPL, OM עמ OM *Populo Genti Plebi*, POPL בבל BBL *confusae mixtae* turbae, catervae plebeiae. 5. ANDERSAFUST, ANDER-SAF-UST, ANDER ipsum נדר NDR ANDER *nuntiare, referre*, dicere, exponere: SAF, שפה SFE *labio, ore, dicta relata*, UST שות SUT STU UST, *statuta, constituta, posita, haec.* 6. SUE סוע SUO *congregatione, collegio*, Fratria: quae vox etiam Osca. 7. NEIP נפה NPE, נהף NEIP, *pelli, expelli, in exilium proiici.* 8. PORT-UST, PORT-UST, PORT באר BAR *aperire, manifestare, facere aperta*, quod ipsum PORT: UST *Statuta* שות SUT *constituta* haec. 9. ISSOC ipsum שוח, SOC SSOC ISSOC *revelare, manifestare, referre.* 10. PUSEI פסי PUSI a Chaldaico אפס APS, *polluit contaminavit*: nempe pollutis profanis. 11. SUBRA ספר SPR *Scripta* (haec), *Scripturam* (hanc), ספר SPR *Librum* hunc. 12. SCREHTO, SCREH-TO SCREH ipsum שרח SCRH, *commentarium*, expositiones, explicationes. 13. TO זה ZE *has istas.* 14 FRATECIMOTAR: FRAT-ECI-MOTAR, *Frate, Fratria*; ECI, הך EK EK *ibit, abibit*: MOTA, *motus, amotus, remotus*: Scilicet a מוט MUTH *moveri, dimoveri.* Quod si scriptum, ut ego puto, FRATESIMOTAR, nempe FRATE-SIMOTA-R, SIMOTA erit vel a שמט SMTH, SIMOT *dimittetur, proiicietur:* vel a שמת SMT SIMUT *excommunicabitur, infamabitur, diffamabitur.*

Adeoque non erimus amplius iniurii Patribus nostris, et non amplius ita calumniosi, ut SUBRA SCREHTO EST vertamus, ut factum antea ab omnibus interpretibus, Maffeio et Mazochio inclusis: *Supra scriptum est.*

V. *Lingua Tabularum Eugubinarum non est declinata et Eumorpha.*

Nam data quacumque curâ, quacumque diligentia, quocumque Systemate Hermeneutico impossibile est detegere et constituere varietatem illam *Casuum*, et inflexionum, quam in *Graeca*, *Latinave Lingua* deprehendimus: Nec in suis Interpretationibus veras declinationes invenerunt et demonstrarunt Bourguetus, Passerius, Lanzius, etc. Et si hic potissimum loqui videtur de inflexionibus Eugubinis, temere atque ita falsis apparentiis illusus est loqnutus, ut Linguam *Eugubinam* haberet ipsam *Etruscam*, et hanc per illam explicaret. Quod si primo intuitu posset non absurde coniici ex. gr. TOTAR-IOVINAR esse aliquem casum TOTA IOVINA, levi attentione adiecta statim deprehendimus R esse omnino paragogicum, et prorsus idem esse TOTAR IOVINAR, et TOTA IOVINA.

VI. *Lingua Tabularum Eugubinarum non est Etrusca, sed ab ea alia et diversa habenda est.*

1. Primo, quia ex 700. Vocabulis *Eugubinis* atque *Etruscis* ne *decem* quidem seligi et secerni possunt vere et proprie *homiophona* et *homiodynamica.* Atqui ex 700 Vocabulis Italicis, Hispanicis, Lusitanicis, Gallicis, plusquam 400. sunt evidenter et manifesto *homiodynamica*, et *homiophona*; et hae Linguae sunt quidem sorores, sed non eadem Lingua: Idem dic de omnibus *Linguis Sororibus*, in quarum comparatione etiam vocum potestate ignota *homiophonia* statim se prodit, et intime sentitur, ut ex. gr. in Lingua *Anglica* homiophoniae Romaicae. Atqui in *Tabulis Eugubinis* nulla, plane nulla

vocabula *Etrusca* insignia manifestâ homiophoniâ produntur et sentiuntur.

2. Secundo, quia ipsa vocabula fundamentalia et substantialia *Tabularum Eugubinarum* nusquam prorsus in *Etruscis Inscriptionibus* deprehenduntur: Non IUVE PATRE, non GRABOVIE, vel KRAPUVI, non MARTIER, non PEIQUO, non FRATER, non ATIERSI; et ita porro.

3. Tertio quia ipsa Vocabulorum compositio, et harmonia diversa sunt in Lingua *Etrusca* atque *Eugubina*. Vocabula *Etrusca* saepe terminantur in AL, nulla prorsus *Eugubina*. 2. Plura *Eugubina* in AF UF OF nulla prorsus *Etrusca*. 3. Plurima Eugubina in AR ER, plane pauca *Etrusca*. etc. etc.

VII. ***Lingua Tabularum Eugubinarum non est Osca, sed ab ea diversa.***

Nam, quamvis Voces aliquot communes possint indicari et seligi, pleraeque tamen sunt aliae ac diversae. Et adeo quomodo Linguam Italicam ex. gr. ab *Anglica* diversam iure dicimus, etsi in Lexico *Anglico* et *Italico* sint plures Centuriae Vocabulorum *homiophonicorum*, et origine et significatione identica, quia *Romaica*: ita quoque *Linguam Tabularum* a Lingua *Osca* aliam et diversam dicemus, et tenebimus.

VIII. ***Lingua Tabularum Eugubinarum non est Graeca, neque ex Graeca foedissime depravata, collecta, et constituta.***

Nam inter *Vocabula Eugubina* et *Graeca* absoluta et intractabilis heterophonia intercedit: Et quidem tanta, ut qui ad *Tabulas* interpretandas accesserunt Bourguetus, Gorius, Lanzius, etsi perfoedissimam depravationem plura ex Graecis vocibus perverterent, numquam tamen unum versiculum Eugubinum totum et integrum per quascumque distorsiones valuerint ex Graeco Lexico exponere et vertere. Hae autem depravationes et distorsiones num-

quam poterunt probari et recipi. 1. Primo quia *Lingua Eugubina* habenda est vetustissima, Graeca vero comparate recens, quia haec absoluta non fuit nisi sexto saeculo prochristiano, ut in *Fundam. Glossosophicis* nostris libro VI. animadvertimus. 2. Secundo, quia Lingua Graeca est declinata, et classica, *Eugubina* indeclinata et fere amorpha, et adeo originis et formationis alius et diversae. 3. Tertio, quia Lingua *Tabularum Eugubinarum* non est lingua Plebeia, et plane popularis, sed Sacerdotum insignium. 4. Quarto quia si Sutores nostri, Fabri nostri, Agricolae nostri humillimi, quum Epistolas mutuo sibi missitant nequaquam utuntur corruptela linguae suae domesticae et quotidianae, sed vocabulis Italicis purioribus, cultioribus, probatis: quidni fecissent idem praestantissimi Sacerdotes? Quum aetas Tabularum Scriptarum ea sit, qua Lingua Graeca purissima adhuc magnopere et vigebat et florebat prorsus latissime, et ipsae mulierculae Sulmonenses Cecropiae ore et lingua videri adfectabant, ut iratus canit Satyricus Oscus Iuvenalis secundo Saeculo Christiano ineunte.

IX. *Lingua Tabularum Eugubinarum non est Latina, sed gravissime ab ea discrepat.*

Nam quod de Lingua Osca superius diximus idem fere de Latina dicendum esse tenemus. Nam, quamvis in *Tabulis Eugubinis* vocabula aliquot occurrant, quae Latina dixeris, vel Latinis similia, pleraque tamen adeo sunt heterophona et diversa, ut per nullam distorsionem et depravationem possint aptari. Nec qui per *Latinam* Linguam eas vertere adlaborarunt, nisi per foedas et fatuas corruptiones facere potuerunt. Atqui *Tabulae Eugubinae* ea aetate sunt descriptae, qua Latina lingua adhuc integra, recta, pura ubique in Italia colebatur, et si Umber Plautus, Umber Propertius *Latine* insigni elegantia scripserunt, quidni Collegium *Arvale Um-*

brum Romani imitatione pura et sincera vocabula Latina adoptasset et adhibuisset? Atqui, ut dicebamus supra, hi *Fratres Arvales* praestantissimi cives et a Plebeia foeditate remotissimi. Tum sunt adhuc plusquam 10000. *Inscriptionum Latinarum* ab Artificibus, et Plebeiis hominibus, et Libertis, et Servis positae, quae Latinae sunt, vocibus certis, puris, evidentibus *Latinis* conscriptae; Cur, obsecro, *Tabulae Eugubinae*, quae non potuerunt scribi ante aetatem Plauti confessione fere omnium, essent descriptae per foedissimas depravationes vocum *Latinarum*? Cur porro in his *Tabulis Eugubinis* consensu omnium sacris et liturgicis numquam legitur: *ara*, *altare*, *victima*, *hostia*, *mola salsa*, *Sacerdos*, *Pontifex*, *sacrificare*, *etc*. et alia innumera *Latina* et *Romana*, sine quibus impossibile est constare *sacrum*, et *liturgicum Sermonem*?

Atqui *Latina* Lingua, quam novimus recens est, absoluta et perfecta circa nativitatem Plauti Umbri, et artificio, methodo, radicibus saepius aliis et diversis condita et formata, quam *Lingua Tabularum Eugubinarum*.

X. *Lingua Tabularum Eugubinarum non est facta ex Chaldaica et Latina foede corruptis et barbare una mixtis et confusis.*

Quae opinio fuit Alexii Mazochii in *Diatrib.* X. *Thyrren.* edita III. Tom. *Opusculor.* ann. 1824. p. 136.–147. ita ut illi PURTUVITU ERARUNT STRUHSLAS sint *Fulgurito erunt Strues*. pag. 148. ESCAMITU AVEITU INUMEK: *in escam avium insumito*; et ita porro: Hanc autem opinionem nullo argumentorum auxilio commendavit Mazochius, nulla idonea disquisitione fulcivit, et quod est necessario addendum, imo ipsemet absurda interpretatione adiecta prorsus et penitus refutavit. Nec praetereundum quod ille ipse qui praeclaro et prolixo opere ad *Etymologicon Vossianum* singula ferme Voca-

bula *Latina* recte et pure sumta e Semiticis fontibus deducebat, hic reliquit intentatas *Latinas* foeditates et corruptiones, quae erant gravius examinandae, et ad Typos suos exigendae. Quin si *Lingua Ciceronis*, quam chiliades Plebeiorum et Libertinorum ad Rostra collectae capiunt, tenent, et recitant, facta est ex puris et receptis Radicibus Chaldaicis Arabicis Hebraicis, quomodo credi potest *Linguam* Sacram, Sacerdotalem, Theologicam, Liturgicam, ut omnium consensu Eugubina habenda est, factam esse ex foedissima depravatione eiusdem *Linguae Latinae* recentissimae atque hesternae?

XI. *Lingua Tabularum Eugubinarum non potest haberi Lingua patria et propria Gentis Umbrae, et Picenae.*

1. Primo, quia si quid certi et explorati de originibus *Umbrorum* et *Picentium* possumus tenere, et fateri, eos ad magnam Gentem *Oscorum* spectasse fatebimur et tenebimus: Atqui paulo supra pag. 185. linguam *Oscam* a lingua *Tabularum* plane diversam demonstravimus. Et in *Tent. Herm. Osco* aliquot Inscriptiones *Umbras* protulimus Osca lingua exaratas p. 162.–173 et explicatas. 2. Secundo, quia si hae *Tabulae Arvales* ad Gentem *Oscam* et *Picenam* spectassent, credibile non est aliquam et memoriam et recordationem non fuisse factam, et saltem laudatos *Umbros* et *Picenos* ob peculiarem Agriculturae amorem, curam, studium, quod numquam factum.

XII. *Tabulas Eugubinas spectasse ad Gentem Aboriginum, sive ad Latinos Priscos et Cascos tenendum certo est.*

1. Primo, quia quum ex Epiro *Aborigines* tenuissent *Italiam*, primum in *Umbrorum* Regione diu manere, et habitare, hinc procedere in *Campos Reatinos*, inde mixtos cum *Pelasgis Tyrsenis* Thessalis *Latium* et *Etruriam Tiberinam* occupare ne-

cesse fuit. Atqui, ut semper fit, potuerunt et debuerunt aliquot *Aboriginum* Tribus manere inter *Umbros* circa *Eugubium* et *Tuder.*

2. Secundo, quia *Tabulae Eugubinae* spectare debent ad Gentem vehementer agricolam et agrophilam, et inter omnes veteres Gentes nulla prae *Latina* Agrophila fuit.

3. Tertio, quia *Mars Picus* Romanorum fuit Deus *Agricola*, et maximus agrorum Tutor: et *Martier Piquier* est *Deus* maximus *Agricola Fratrum Atiersium.*

4. Quarto, quia *Mars Gradivus* Romanorum non potest esse nisi DI GRABOVIE Tabularum B in D per Aeolicam methodum Romanis familiarem immutatum.

5. Quinto, quia apud unos *Romanos* fuit *Collegium Arvale* per plura capita simile Collegio *Fratrum Atiersium*, ut supra innuimus, et Marinius animadvertit *Prefaz. ai Fratelli Arvali.*

6. Sexto, quia ex veteribus *Linguis Italicis* ex unâ Latinâ plura servant *Tabulae Atiersium.*

7. Septimo, quia *Ager Coloniarum Atiersium* clare dicitur AGRE TLATIE PIQUIER MARTIER: unde evidenter patet unam cum Latinis fuisse his originem et genus.

XIII. *Per unum Lexicon Linguae Semiticae Lingua Tabularum Eugubinarum est explicanda.*

Nam, quum Lingua *Tabularum* sit inexplicabilis per Linguas Lexeotropicas, et formatas, ut fuerunt *Graeca* et *Latina*, una Noachica et Semitica Radicalis superest ad rem idonea, et opportuna; eo magis, quod Tabularum lingua sit vetustissima, indeclinata, et Theologica; ea nempe, quae necessario et certo per Lexicon *Linguae Noachicae* ab ipso Collegio Arvali fuerit constituta et firmata. Verum quidem est harum Tabularum tractationem etiam per Noachicam et Semiticam Linguam esse asperam, quum praeter imperfectionem Alphabeti

Ionici, et literas plures indefinitas, et pronuntiationem climatericam, sint frequentes Paragogismi Literarum otiosarum, et Crypticismus graphicus, sed omnia vincet labor improbus: adeoque certum mihi est quod qui potenter volet, potenter efficiet et perficiet. Vide *Elementa* nostrae *Glossogon.* Adpend. ad Tent. Etrusc. pag. 272. *Praefat.* ad Tentam. Etymolog. etc. et *Praefat.* secundam hîc praemissam.

XIV. *Lingua Tabularum Eugubinarum habenda est veluti primus gradus, quo Linguae Pelasgicae incipiunt fieri Lelegicae, utque solemus dicere Iapeticae.*

Nam quamvis huic Linguae casus, et inflexiones clisiacae verae non sint, eas tamen quodammodo adsumit et mentitur: et adeo haec Lingua primus gradus est Linguae Latinae, quae a Classe Pelasgicarum amorpharum ad Synmorphismum descendit.

I. SPECIMEN PRIMUM

Desumtum ex posteriore facie *Tabulae* tertiae *Eugubinae*, cui literae Latinae sunt, et Dialectus *Ophonica*: legitur in Etruria Regali Dempsteri T. I. pag. 91. in Actis *Academ. Corton.* II. pag. 28. 20. in *Paralip.* Passerii pag. 517. 518. et Tab. X. Apud Lanzium in *Saggio* Tom. III. pag. 706. 707. aliosque. Primus vertere adgressus est Ludovicus Bourguetus in *Act. citatis Academ. Corton.* Pauca loc. cit. attigit Passerius, totam exemplo unico vertit Lanzius loc. cit. Has versiones adducere, comparare, refellere hîc supervacaneum: Utilissimum si faciat ipse Lector versione nostrâ additâ et adiectâ: ut sentiat et videat, quae ex eis Grammatice, Logice, et Archaeologice, ut in *Tent. Herm. Etrusco* dicebamus pag. 71. sit probabilior et verosimilior.

1. CLAVERNIUR DIRSAS HERTI FRATRUS ATIERSIR POSTI ACNU FARER OPETER P. IIII. AGRE TLATIE PIQUIER MARTIER ET SESNA.

Clavernius Inquisitor, et Curator, Fratres Arvales desinente anno purificent per sacra officia P. IV. *Agrum Latinum Picentium Martiorum ad musicum sonum.*

1. CLAVERNIUR est Latinum *Clavernius*, ut Romanus, ex Oppido, vel Pago, vel Civitate *Clavernia*, modo *Chiascerna*, ut acute animadvertebat Lanzius loc. cit. pag. 661. originis non Umbrae, sed Latinae: Scilicet Pars *Latinorum Priscorum*, et *Cascorum*, sive *Aboriginum* adhuc purorum, et primitivorum, ut dicebamus paulo supra.

2. DIRSAS, AS-DIRS, *homo*, vir, Persona איש, AIS, AS, דרש DRS, *quaerens*, *investigans*, *Inquisitor* Pagi, vel Oppidi, idem Magistratus, summa probabilitate, qui *Oscis* EITIUBA: de quo diximus pag. 84. 87. 109.

3. HERTI: vel a חרץ HRTZ, HRT *sedulus*, *attentus*, *curator*, *ordinator*, statutor: vel a חרת, HRT *aravit*, *arator*, scilicet *Praefectus Arationis*.

4. FRATRUS, US-FRATR, *Homo* spectans ad *Fratriam*, *Collegium*.

5. ATIERSIR, sive ATIERSI, quia R litera paragogica: ATI-ERSI fit ab את AT ATI, *vomero*, *aratro*, et חרש HRS *arare*, *operari*, colere terram: vel ab אטי ATHI *incantator*, *augur*, qui arcanis precibus et formulis canit et excantat ערם ORS, ERS *plantas*, *herbas*, *fruges* ארם.

5. POSTI: vel a בצע BTZO, BOSTO *finito*, *absoluto*, perfecto: vel a פס PS, פסת POST *absoluto*, *finito*, *consumto*.

7. ACNU: puto esse pro ASCNU: a ש S-CHI Semitoglossorum sibilanti litera ablata, quod factum etiam in aliis vocibus mihi certum videtur. Adeoque mihi ACNU *Arvalium Fratrum* est שנה Semitoglos-

sorum: שׁנה SCNE, ASCNE, ACNE, *Annus*, *annua*, *Periodus*,

8. FARER, BARER, ברר BRR *purgare*, *expiare*, *purificare*: Expient purificent.

9. OPETER, OPETE, OBEDE ipsum עבד OBD, עבוד OBUD *ritu* sacro, ministerio sacro, ceremonia, *officio* religioso.

10. P. IV. Siglae potestatis ignotae. Nam nec pro *Pagis* quatuor: nec pro Partibus quatuor intelligerem; quum mihi AGRE TLATIE PIQUIER MARTIER sit idem *Ager*, et idem ac *Ager Clavernius*.

11. AGRE: Vox etiam *Osca*, et *Latina*, non vero *Etrusca*, a כרה *fodere*, effodere, unde אכר AKR, *Agricola* et *Ager*.

12. TLATIE, PIQUIER, MARTIER, TI-LATIE *huius Latii*, huius Latini Agri, quia *Clavernates* essent Latinae originis, et adsumerent insuper Nomina *Picentium Martiorum*, ex Nominibus Dei sui Fundatoris *Martis Pici* Dei Latini, non Osci vel Umbri Idioethnici.

13. ET SESNA, את-ששׂן, AT-SSUN ad *laetitiam*, gaudium, *ad musicum sonum*. Nam ET את AT *ad* ששׂן SSUN quasi *hexachordum Instrumentum sex chordarum.*

II. HOMONUS DUIR PURI FAR EISCURENT OTE A. VI. *Oeconomus loci decimas oblatas puri farris adducat* A. VI.

1. HOMONUS, US-HOMON, איש-אמן AIS-AMN, *Homo Oeconomus*, dispensator, *nutritor*, *altor.*

2. DUIR, DUI, טע THO, THUI, DUI, *Loci*, regionis, *Pagi*, *Civitatis*.

3. PURI ברר BRR PR *puri*, purgati, perfecti.

4. FAR BAR בר BR *farris*, *frumenti*, ברה BRE, FARRE *Cibus*, *Esca*.

5. EISCURENT, EISCUR-ENT: EISCUR ipsum עשׂר, OSCR, EISCUR, *decima* pars, vectigal, *tributum decimale*: הד ED END ENT *oblatum*, *offertum*, datum, adlatum.

6. OTE ATE אתה ATE (active) *adducat, afferat portet*, vel התת ETT *producat, proferat.*

II. CLAVERNI DIRSANS HERTI FRATER ATIERSIUR SEHMENIER DEQURIER PELMNER SORSER POSTI ACNU VEF X CABRINER VEF V. PRETRA TOCO POSTRA FAHE ET SESNA OTE A. VI.

Clavernius Inquisitor, Curator, Frater Arvalis, Praefectus Computationis Kalendariae, Augur, Sortiarius desinente anno misceant X. favos mellis et V. ova, et discumbentibus dividant per partes ad laetitiam Musicam A. VI.

1. CLAVERNI : *Clavernius* : Hinc secunda pars Liturgiae *Clavernatium* : et quum vers. 6. Tabulae incipiat simillima Liturgiâ *Casilatium* non dubito, quin eadem sit intelligenda de singulis X. Pagis, sive Civitatibus *Priscorum Latinorum*, quae adhuc intime coniunctae inter *Umbros* degebant : quae Civitates sive *Pagi Cascorum* in Tabulâ V.[a], quae incipit SEMENIES DEQURIES singillatim recensentur.

2. DIRSANS ; ANS-DIRS: אנש ANS homo persona *quaesitor, inquisitor*, ut diximus.

3. HERTI, FRATER ATIERSI, *Curator, Frater Arvalis.*

4. SEHMENIER in Tab. V. *Uphonica*: SEMENIES. Si istud satius est, esset a זמן ZMN *tempus, tempora*: et cum voce sequenti posset significare *Praefectum Kalendarii* Rustici, praepositum signandis temporibus, quod officium tum erat ex maximis et difficillimis muneribus: vel est quasi שוח-מני SUC-MNI, SEH-MNI, et erit, qui cogitat supputationes, *Calculos refert*, eloquitur, exponit.

4. DEQURIER in alia Tabula TEKURIES, si est a דקר DQR *fodio, effodio:* erit *Praefectus* Kalendarii *Rustici* : ageretur de temporibus *agricolis*. Si est a זכר ZKR, DKR, *memoria, recordatio* : erit *Chronista, Chronographus*, qui *adnotat tempora*, vices temporum signat.

5. PELMNER, PELMNE, scilicet, מני MNI, MNE, *supputans*, *calculans*, פל PL, PEL *auguria*, *omina*, *monstra*: unde factum FUL-MEN Romanorum, quia ex doctrina Etrusca *Fulmen* magnum *omen*.

6. SORSER, SORSE, arbitror esse vocem *Idiomaticam* Italorum SORS Latinis, SURIS Etruscis, ut vidimus in *Tentam. Hermen. Etrusco* pag. 169.etc. Ita ut teneam istis *Latinis Cascis* SORSER esse *Sortiarium*, qui *sortibus* ducendis praesit, ut APKAR Etruscus. Vid. *Tentam. Hierographic.* pag. 16-19.

7. POSTI ACNU: *desinente anno*, in fine anni, ut dictum supra.

8. VEF, forsan ex אפה AFE, vel עפ OF, VEF *coquere*, *excoquere*, *pinsere*, tundere, miscere, commiscere. Opus liturgicae Mensae.

9. X. CABRINER, forsan a כביר KBIR *favum mellis*, *mel*, quod Romani maxime et potissimum initio anni comedebant: Atqui finis unius anni, et alterius initium plane proxima et congrua.

10. V. PRETRA, PRETA, BRETA, ברת BRT *ova*, *ovorum*, quae ad expiationes opportunissima. Immo puto haec *Ova* Fratris Arvalis posse illustrari hoc loco Varronis de *Re rustica* libr. I. cap. 2, p. 8. *Bono animo este*, inquit, *Agrius. Nam non modo Ovum illud sublatum est, quod Ludis Circensibus novissimi Curriculi finem facit quadrigis, sed ne illud quidem Ovum vidimus quod in Cereali Pompa solet esse primum.*

11. TOCO puto esse a תכה TKE *discumbere*, *convivari*. Radix *Oscae* Vocis celeberrimae TANCINUD. TACI-NU, ut vidimus in *Tentam.* pag. 89. 90. 91. *Convivantibus*, *Discumbentibus*.

12. POSTRA est בצר BTZR, PTZR *dividere*, *secare*, partiri.

13. FAHE, פה PHE, in *partes*.

14. ET SESNA OTE A. VI. *ad laetitiam Musicam*. A. VI.

II. SPECIMEN SECUNDUM

Desumtum ex Tabula Eugubina etiam Latinis literis descripta, atque *Ophonica*: quae VI. est ordine posito a Phil. Bonarota ad *Dempster*. I. p. 97. 98. Prima Passerio in *Raccolta Calogr*. Tom. XXVI. pag. 250. 251. etc. et in *Paralipomen*. pag. 241. Lanzius adduxit T. III. *Saggio* pag. 746. 750. Incipit versio nostra a ver. 19. a quo suam orditur ipsemet Lanzius, fecimusque data opera, ut Lector possit Versiones mutuo conferre: quum edita etiam sit in *Act. Academ. Corton*. Tom. II. pag. 43. 44. 45. etc. prior versio Ludovici Bourgueti: et Passerius in *Roncagl*. loc. citat. pag. 369. 370. 372. et in *Paralip*. 266. 267. 268. nonnulla etiam verterit atque adnotaverit.

Ex Versibus 19. 20. 21. 22.

VASOR VERISCO TREBLANEIR PORSI OCRER PEHANER PACA OSTENSENDI EO ISO OSTENDU PUSI PIR PURETO CEHEFI DIASURUR VERISCO TESONOCIR SURUR VERISCO VEHIERIR PREVERIR TREBLANEIR.

CARO, Far, adeps, panis, escae luculento igne perite comburenda tradantur. Eo ipso igne comburatur oblatum frumentum purgatissimum debitum. Copia primitiarum farris, pinguedo carnium, primitiae farris, suffimenta, purissimus adeps. v. 22.

1. VASOR ipsum בשר BSR, VSR *Caro carnis*.

2. VERISCO, ערס ORS, ORISCO; ore Pelasgico *verisco*, genus *farris*, vel *hordeum decorticatum*: Tum ערס ORS *Pasta*, *conspersio*.

3. TREBLANEIR: TREB-LANEI *adeps* mollissimus, pinquedo mollis: A תרב TRB *omentum*, *adeps*, pinguedo, et לאן LAN *mollis*, *tenera*.

4. PORSI, פריסא PRISA Syris *panis*, cibi, escae.

5. OCRER, OCRE, כרה KRE *Cibi*, *escae* Epulares, et אכרי ACRI Arabibus *Census*, *opes*, possessio,

bona: אכר ACR, כר KR *Ager, arva* fertilia fructifera.

6. PEHANER: PEHA-NER. PEHA a פיח PIH *favilla*, scintilla, et נהר NER *focus*, *ignis*.

7. PACA a פיקא PIQA, PICA *perite*, *sapienter*, intelligenter, vel a ביקא BIQA, PICA ex *experientia*, probatione vetere, consuetudine, more.

8. OSTENSENDI, OSTENS-ENDI, nempe ENDI, et nasali extrita EDI הדה EDE *dentur*, proiiciantur, iaciantur: יצות ITZUT, ITSUT, OTSENT, OSTENT *urenda*, *adurenda*, incendenda.

9. EO ISO: הוה-אש EVE-AS *hoc igne*, ipso hoc igne.

10. OSTENDU, יצות ITSUT, *incendantur*, *comburantur*.

11. PUSI, בז BUZ, PUS *munera*, dona, oblata.

12. PIR, PURETU *frumentum*, far, בר BR, PIR, ברר BRR PURETU *expiationum*, purificationum, vel *purum*, purgatum.

13. CEHEFI, חיוב CIUB, CHIUFI, *debitum*, *multaticium*, expiatorium.

14. DIA, DI, די sufficientia *copia*.

15. SURUR, SURU, SRU, שרו SRU, *primitiarum* principiorum, a שר SR *primitia*, principio.

16. VERISCO, *farris sacri*.

17. TESONOCIR, DESON-OCIR דשן DSN, *pinguis*, pinguedinosa, כרה KRE *caro carnis*, esca.

18. SURUR VERISCO, *Primitiae farris*, quasi *mola salsa* Romanorum.

19. VEHIERIER a בחר BHR VEHIRE, *suffitus*, *suffimenta*, aromata, quae comburantur in Deorum honorem.

20. PREVERIR TREBLANEIR *purissima*, *gratissima pinguedo*. Nam *Preverir* putamus factum a repetito בר BR, ברר BRR *purgare*, *purificare*, expurgare.

Ex Versibus 22. 23. 24. 25.

IUVE GRABOVEI BUF TREIF FETU ESO NARATU VESTEIS TEIO SUBOCAU SUBOCO DEI GRABOVEI OCREPER FISIU TOTAPER IIOVINA ERER NOMNEPER ERAR NOMNEPER FOSSEI PACERSEI OCREFISEI TOTE IIOVINE ERER NOMNE ERAR NOMNE ARSIETIO SUBOCAU SUBOCO DI GRABOVIE ARSIER FRITE TIO SUBOCAU SUBOCO etc. ver. 25.

Iupiter Arotrie auge escas, adauge substantias Arvorum, commercia: Statorem laudo, collaudo, (te), Deus Arotrie, alme, auge Regionem Iovinam, Arva auge, agros adauge, pecora, escas auge, arva adauge, Sylvane, Stator, laudo, collaudo te, Deus Arotrie, Sylvane, fructifer, Stator laudo, collaudo te etc.

1. IUVE Nomen Dei maximi Fratrum Arvalium ex ipsa Radice *Iovis* Latialis. Recte deducitur a *Iuvo, iuvas*, sive a Chaldaico et Syro יהב IEB, IEBE, IEVE *dare, donare*, dona *tradere;* Dii enim intima essentia sua, ut dicebat Deorum Genealogista Hesiodus sunt δοτῆρες ἐάων. Plures IOVE Latinorum ab IEVE Hebraeorum ducunt: non recte mea sententia. Nam hoc nomen ipsis Hebraeis impronuntiabile; et libri Hebraeorum sacri Gentibus ignoti. Vocem autem Ιαω factam ab יה IE probabile est.

2. GRABOVEI: factum arbitror a כרב KRB *Aratro*, et אב AB *Patre, Inventore*, datore, ita ut GRAB-OVE sit auctor *pater aratri*, sit Ζεὺς ἀρότριος, et *Dagon* magnus Deus Phoenicius, ut notum ex Fragmento Pseudo-Sanchuniatonis, sive Philonis Byblii apud Eusebium Caesariensem in *Praep. Evangelic.* libr. I. cap. X. pag. 40. Sit *Osiris* Aegyptius, de quo Tibullus canebat libr. I. Eleg. 7. v. 29. 30. » *Primus Aratra manu sollerti fecit Osiris,* » *Et teneram ferro sollicitavit humum* ». Idem ac *Mars Sylvanus* Romanorum, cuius profundam et arcanam naturam et maxime providen-

tiam eius *Agricolam* nemo, quem sciam diligenter examinavit, et aperuit. Nam egomet teneo cognomen GRADIVI, quod datur *Marti* Romano, factum fuisse a recentioribus ex GRABOVI, B in D Aeolica ratione immutato.

3 BUF, VUF ex עף OF VOF *duplica* conduplica, auge, adauge.

4. TREF טרף THRPH *Cibum*, *Escas*, substantias alimentorum.

5. FETU, פתא FTA FETA *dilata*, *amplifica*, copiosiores, maiores fac.

6. ESO, יש, IS. ISO, *Substantias*, *Res*.

7. NARATU, NAR-ATU a ניר NIR *agro*, *campo*, arvo, et את AT *Aratro*, *Vomere*, Arva arata, quae *aratro* proscissa sunt.

8. VESTEIS IS-VESTE, יש, IS; substantias, Res, בצע BTZO, BTSO, BESTO, VESTE, *divitias*, *opes*, negotia, commercia agricolis necessaria.

9. TBIO a תאה TAE *statuere*, constituere, definire, *firmare*, *Stator*, Κτιςης Gentis, et Tribus.

10. SUBOCAU, SUBOCO, ipsa שבח, SBC, סכח, SBC, SUBOCO, *laudo*, *collaudo*, laudibus tollo.

11. DEI GRABOVI *Deum Arotrium*, Agroterum.

12. OCREPER, OCRE-PRA, BRA ברא BRA *creare*, *creator*, eductor, *dator*. OCRE A חרה CRE *cibi escae*, unde *Almus*, altor, nutritor; vel ab אכרי ACRI *opes*, divitiae, *Census*, possessio: et אכר AKR, כר, KR, *agricola*, *ager*, *arva*.

13. FISIU a פישה FSE, FISE, *expansus*, amplus, dilatatus: et adeo, *dilata*, *auge*, *accresce*.

14. TOTAPER, TOTA-PER: PER vox quidem paragogica; at dubio procul aliqua potestate et ratione: Si a ברא BRA, est *condita*, constituta: si a באר BAR *declarata*, nuncupata, appellata. TO-TA a טע THO, תא TA *Regione*, provincia, loco: definita, constituta, nuncupata.

15. HOVINA Nomen Gentis et Populi, vel Tribus,

pro qua haec Liturgica Indigitamenta facta a Fratribus Arvalibus.

16. ERER, ERE haud opportunum si deducimus ab הר ER *monte*, *colle*; satius ab ארעא AROA ARE agro arvo.

17. NOMNEPER, NOMNE-PER; NOMNE vox composita a NOM, et MNE, NOM a נמה NME NEM *augere*, adaugere, et מנה MNE *numerare*, multiplicare, in numerum tribuere. Adeout compositum NOMNE sit *vehementer augere*, et accrescere; quod augumentum *auget* adhuc vox paragogica PER.

28. ERAR NOMNEPER: Repetitio Liturgica.

19. FOSSEI a פשה FSE *auge*, *adauge*.

20. PACERSEI PACER-SEI PACER est ipsum בקר BQR BKR, PACERE, Latinum PECORA *armenta*: SEI est שה SE *oves*, *capellas*, pecus minutum.

21. OCREFISIU, כרה-פשה KRE-FISE *Escarum* ciborum *adauctor*.

22. TOTE, IOVINE, ERER NOMNE, ERAR NOMNE: *Regionis Iovinae arva dita*, *arva auge*. Repetitiones Liturgicae.

23. ARSIE ab ערס ORS ARSI *planta*, *arbor*, frutex, Agricola hortulanus: hinc *Sylvane* vertimus *Martis* Romani profundum cognomen.

24. TIO, תאה TAE *stator*, constitutor, qui Tribum Iovinam fixisti, firmasti.

25. SUBOCAU, SUBOCO, DI GRABOVI, *laudo*, *collaudo* Deum Arotrium, ut dictum supra.

26. ARSIER, FRITE, TIO: *Sylvanum fructiferum*, *Statorem*. Nam FRITE est ab ipso פרות FRUT *fructu*, proventu arborum et פרה FRE *fructificare*, *proferre*.

27. SUBOCAV, SUBOCO, *laudo*, *collaudo*.

Ex Vers. 29. 30. 31. etc. etc.

DI GRABOVEI PIHATU OCREFISEI PIHATU TOTA IIOVINA DI GRABOVI PIHATU OCRER FISIER TOTAR IIOVINAR NOME NERF ARSMO VEIRO PEQUO CASTRUO FRI PIHATU FUTU FOS PACER PASE TUA OCRE FISI TOTE IIOVINE ERER NOMNE ERAR NOMNE DI GRABOVIE SALVOSERITU TOTA IIOVINA. etc. etc.

Deus Arotrie beatifice agrorum adauctor beatifica Regionem Iovinam. Deus Arotrie beatifice arvorum adauctor Regionem Iovinam auge, et multiplica plurimum, Fines, Civitates, Vicos, Villas, fructus foecunda, auge multiplica Armenta, Agros divisos, arva auge Regionis Iovinae, agros auge, arva adauge, Deus Arotrie, Salva sata, agros auge, Salva sata Regionis Iovinae.

1. DI GRABOVIE *Deus Arotrie.*

2 PIHATU: ipsum בחת BHT PHT *beate* Latinorum, *felix*, *bona Fortuna*, bonus Eventus, beatifice, felicitatem tribuens.

3. OCREFISIE, *alme, nutritor*, ciborum Escarum adauctor.

4. PIHATU, TOTA, IIOVINA, *Beatifica*, foecunda, fertilem, felicem fac *Regionem Iovinam.*

5. DI GRABOVIE PIHATU OCRER FISIER TOTAR IIOVINAR. *Deus Arotrie foecundator*, arvorum *adauctor Regionis Iovinae.*

6. NOME, ipsum נמה NME, NOME *auge adauge.*

7. NERF, NERB, N-ERB, נ-רב *plurimum* in magnam multitudinem, numerum.

8. ARSMO Vox Idiomat ca a רשם RSM, ARSM definio, describo, circumscribo, nempe *limites*, *fines.*

9. VEIRO עיר OIR Pelasgice VOIR VEIR *Oppida*, *Civitates.*

10. PEQUO בקע BQUO *Oppida*, urbes in montibus et Collibus positas.

11. CASTRUO ipsum חצר CTZR CASTR, *Castra* Romanorum, *pagos*, villas, praedia, quae muro septo vallo coercentur et muniuntur:

12. FRI פרי FRI *fructus*, proventus Arborum.
13. PIHATU . בחת, BHT, *beatifica*, foecunda.
14. FUTU, פתא FTA *dilata*, multiplica.
15. FOS פש FS *auge*, *adauge*.
16. PACER BACER בקר BQR *armenta*, pecora maiora.
17. PASE TUA, Sortes divisas, partes adsignatas, nempe פס PAS, פסא PSA *Sors*, portio, pars; תוא TUA *adsignata designata* circumscripta: Scilicet Agrorum partes, quas sibi in partes diviserant isti *Latini Casci*.
18. OCREFISI *Agrorum Adauctor*, *Foecundator*.
19. TOTE IIOVINE ERER NOMNE ERAR NOMNE, DI GRABOVIE; *Regionis Iovinae agros auge, arva adauge*, *Deus Arotrie*.
20. SALVA ipsum Latinum *Salva*, ipsum Semiticum שלוה SLUE SALVE, *felicita*, *foecunda*, *fortunata fac*, *redde*.
20. SERITU, Latinis *sata*, sed ex analogia clariore esse potuisset *serita* a *sero seris*, et *sero seris* Latinorum, et SERITU *Cascorum* est a זרע SRO, SERO, *Semen iacio*, *Semino*; SERITU quasi *seminata*, *semina* Telluri tradita.
21. TOTA IIOVINA *Regionis Iovinae*, sive Latinorum Priscorum, quae a suo IUVE dicebatur.

III. SPECIMEN TERTIUM

Desumtum ex Tabula Eugubina quinta ex ordine Bonarotae ad Dempsterum Tom. 1. quae descripta literis Etruscis, et *Dialecto Uphonica*. Legitur etiam in *Racc. Caloger.* Tom. XXVI. pag. 279. 280. edita a Passerio, qui edidit etiam in *Paralipom*; habuitque numero octavam pag. 279. 280. Tum in *Saggio* Lanzii Tom. III. pag. 728. 729. Eius initium hoc, sive SPECIMEN nostrum: SEMENIES TEKURIES SIM KAPRUM UPETU TEKUIAS FAMERIAS PUMPERIAS X. ATIIERATE, ETRE ATIIERATE: KLAVERNIE ETRE KLAVERNIE: etc. etc. usque ad X.

et postremam FAMERIAM : Scilicet : *Kalendarii Rustici ordinator statuat expiationum Festum coniunctarum* x *Coloniarum Pomperiarum*. 1. *Atieratis et alterius Atieratis* : 2. *Klaverniae* , *et alterius Klaverniae* : 3. et ita singillatim usque ad x et postremam.

1. SEMENIES : factum arbitror a זמן ZMN *tempus* , *temporis* , *temporum* , Kalendarii , IES איש AIS *Homo* addictus ad ordinanda *tempora* : Idem fortasse est SEHMENIER *Cascorum Latinorum* : quam vocem deduximus a שוח-מני SUH-MNI ; quia pluribus Gentibus *Luna* est MENI, et *seh-menier* potest haberi *supputator Mensis, Lunae* , Kalendarii : et adeo esse homiodynamicum $\tau\omega$ SEMENIES ex aliis Radicibus.

2. TEKURIES in Tabula *Ophonica* , ut vidimus pag. 191. est DEQURIES.

3. SIM , SUM : שום SUM , שים SIM, *ponat, statuat,* constituat , designet.

4 KAPRUM , UM-KAPR , עם OM , UM *Populi, Gentis* ; כפר KPR , KAPR *expiationis,* purificationis, absolutionis.

5. UPETU , UBEDU , עבוד OBUD , *ministerium* , *servitium* , Ritum liturgicum , Festum.

6. TEKUIAS , AS-TEKUI , AS *ad* , *spectans* ad תכה TKE *socias* , *coniunctas.*

7. FAMERIAS , AS-FAMERI , *societates* , congregationes , Colonias , ab עמר OMR , OMER , FOMER , FAMER , habitator , incola , Colonus , Colonia , ore Pelasgico.

8. PUMPERIAS XII , ut in Ectypis ; vel potius X quia X singillatim adnotantur. Cur autem hae Coloniae *Aboriginum* dicantur *Pumperiae* ignotum hactenus, nec clarius *Pompatici*, quod Lanzius finxit.

9. ATIERATE , ETRE ATIERATE. Prima Tribus , prima Colonia *Atieratum* , qui ipsi videntur *Fratres Arvales* : vel ea ex qua sive unice, sive potissimum deligerentur. Haec autem Colonia et *Fameria Atierate* , in duas partes , ut reliquae omnes discernitur:

Et secunda pars dicitur ETRE ATIERATE, non ab ἕτερος Hellenum, sed utrumque a Chaldaico, vel potius Noachico תרי TRI ETRI *Alter, Secundus.*

Ex Vers. 7. 8. 9. 10.

TEITU ARMUNE IUVE PATRE PHETUSI PERAKNE SEBAKNE UPETUE BEITU SEBAKNE NARATU ARBIU USTETU EUNARATU PUXE PHATZE PHETU SEBAKNE THERI PUNI THERI VINU PHETU VAPUTU SATZI AMPETU KAPRU PERAKNE SEBAKNE etc. etc. v. 10.

Designent Aedem Iovi Patri scrutatori, benedicenti, expiatori: Ritum promulgent expiationis agrorum, herbarum, arborum, fructuum Arvorum Lacuum, qui fundunt aquas: Preces Expiationis aedium, penus, aedium vini: Preces de Bothis fractarum uvarum, Expiationes, benedictiones, purificationes etc. etc. Nam:

1. TEITU est, ut arbitror, a תאה TAE, תוה, TUE, *signare, designare*, definire.

2. ARMUNE, ipsum, ut videtur, Chaldaicum, et Syrum ארמן ARMUN *aedem, palatium*; puto *Fanum*, τέμενος ὑπαίθριον.

3. IUVE PATRE: *Iovi Patri*, Latinis vocibus, quia *Prisci* et *Casci* Latini fuerunt hi *Fratres Arvales*, et hae *Fameriae Pumperiae.*

4. PHETUSI, ipsum פתש PHTS, *Fetusi, inquirere*, investigare, scrutari peccata, et peccatores, facinora, errata, et scelestos: quod primum iustae Divinitatis officium.

5. PERAKNE, BERAKNE, a ברך BRK, *benedicere, sanctificare*, quia scilicet idem Deus potest sanctificare scelestos, potest *benedicere* iis, qui prave egerunt.

6. SEBAKNE a שבך SBK, *purificare, expiare, purgare.*

7. UPETUE, עבוד OBUD *ministerium, officium*, ritum Liturgicum.

8. BEITU בטה BTHE *dicant, indicant, promulgent.*

9. SEBAKNE, שבכין SEKIN *purificationum*, *expiationum*.

10. NARATU, ניר־אתי NIR-ATI *Arvorum aratorum*.

11. ARBIU, ipsum רבע RBO RBIU, *Herbarum*, *foeni*, *germinum*.

12. USTETU עצות CIZUT, OSTUT, *arborum*, *lignorum*, arbustorum, fruticum.

13. EV-NARATU, AB-NARATU, אב־ניר־אתי, AB-NIR-ATI; AB *fructuum*, *proventuum*, *arvorum aratorum*.

14. PUXE, BUTZE a בצצ BTZTZ, *lacus*, *lacuna*, *palus*.

15. PHATZE, a פוצ PHUTZ *effundere*, *effluere*, unde *aquae fluunt*, et adhibentur ad utilissimam *Agrorum irrigationem*. Litera, quam fecimus TZ, est propria harum *Tabularum*, et formâ simillima nostro Latino minusculo d: eius potestatem similem τῳ Z esse putavit Bourguetus in *Act. Acc. Corton.* I. pag. 1. 7. Similem τῳ S vel Z putavit Lepsius de *Tabul. Eugubin.* pag. 58. 59. Ego similem facio τῳ TZ: Etsi hanc literam expressam etiam per ‡ sive X teneam: Variissimi enim sunt oris humani *sibili* et nobis Italis sunt duo Z plane distincta.

16. PHETU, a פוט PHUTH, PHETH, *precari*, *obsecrare*, orare, preces supplicationes fundere.

17. SEBAKNE *purificationes*, ut supra.

18. THERI, vel CHERI, ambigua est litera, si THERI ducerem a טיר THIR *aede*, *aedificio*, *palatio*: si a CHERI a חור CHUR, CHURI, *Caverna*, Crypta.

19. PUNI: Arbitror ex eadem radice fieri, ac PENU Latinorum: Pars domus interior, qua plura bona et potissimum Escae et cibi servantur a פנה PNE, פנימה PNIME pars intima interna, unde *Penates*.

20. THERI, vel CHERI, VINU: *aedes*, vel *Caverna*, qua *Vinum*, sive *Dolia vini servantur*.

21. PHETU, פוטו PHUTHU *orationes*, *preces*.

22. VAPUTU, VA-PUTU, VA-BUTU, VA, VE, *et etiam*, BUTU, BATU, בת BT *Bathorum*, *Doliorum*, amphorarum, urnarum vinariarum.

23. SATZI, a שוץ SUTZU, שצא SATZA, *perficere absolvere*, consummare: Etiam hic TZ est d.

24 AMPETU, ANBETU, ענבת ONBT *uvarum*, *racemorum*.

25. KAPRU, PERAKNE, SEBAKNE: *Expiationes*, *benedictiones*, *purificationes*, etc. etc.

IV. SPECIMEN QUARTUM

Desumptum ex *Tabula Eugubina secunda* ex ordine, Bonarotaè in *Etruria Reg. Dempsteri* Tom. I. idque fecimus data opera: Nam quum *Tabulam* hanc plures docti viri vertere et interpretari adgressi sint, prolixiore et profundiore studio potest in eam incumbere sollers Lector. 1. Primus autem Interpres, quod sciam, fuit Antonius Fr. Gorius, versionemque suam Latinam edidit Tom. II. *Musei Etrusci* 1737. 1738. Quam versionem Italicis versibus reddidit Xaverius Mattei, et edidit in *Dissert. Prelim. Biblich.* Tom. II. pag. 51. 52. 1772. Putavitque uterque contineri eâ lugubres cantus, fletus, ululatus, et lamentationes Pelasgorum, ob *siccitatem* et *ariditatem*, qua omnes Agri sui in Italia fuissent percussi: Quod falsum: Nam numquam Pelasgos Tyrsenos his calamitatibus fuisse gravissime pessumdatos in Italia nos in *Tentam. Herm. Etrusco* in Dionysium Hal. demonstravimus. 2. Alter Interpres, etsi intenui parte fuit I. B. Passerius, qui hanc Tabulam edidit, tum in *Roncagl. Caloger.* Tom. XXVI. pag. 284. 286. habuitque numero XI. tum in *Paralipom.* Tab. XI. p. 318. 319. 1769. ibique professus est se longe abire a sententia Gorii, quamvis intimi et vetustissimi amici, et tenere, quod una *pacatissima Ritualia* ad rem *Fulguralem* pertinentia in ea continerentur: Nam ETRAMA SPANTI evidenter sunt Passerio *Duo ful-*

mina: ut INUK UHTUR eadem evidentiâ est *unus Taurus*: et ita porro. 3. Circa hos ipsos annos quibus Gorius et Passerius Tabulam hanc Eugubinam tentabat etiam Alexius Mazochius Neapoli (1740. 1742.): per Methodum hermeneuticam pariter falsam, ut in Disquisitione Praeliminari monuimus, et hypothesi de subiecto et materia. Tabulae etiam falsa. Putavit enim tota hac Tabula agi de restinctione *Incendii* veri et realis, sed ignoti loci, ignoti temporis, ignotae Gentis, sive Civitatis anonymae: Et tenuit *Arvales Fratres*, qui nec origines Gentis suae, nec Capita Tribuum, nec *Transmigrationes*, nec Bella, nec Statum Civitatum descripserant, in *ignoti Incendii* descriptione vires ingenii sui et Linguam sacram occupasse, et haec ineptissima Tabulis aereis insculpta Posteris tradidisse explicanda. Et ideo Tom. III. *Opusc.* pag. 165. vertebat BUKE PRUMU PEHATU, *hauri ex primo puteo*, et BUEM *aquam*, et INUK UHTURU *clama gutture*: et cetera fere omnia huiusmodi: Hinc puto factum, ut haec *Decima Diatribe* inter Tyrrhenicas auctore vivo, et diutissime eo mortuo non fuerit edita: Sed tandem adspexerit nuper lucem ann. 1824. 4. Nonnulla etiam ex hac Tabula vertenda sumpsit Agius de Soldanis Melitensis in sua Grammatica *Punico Maltese* pag. 56. 57. 1750. sed frustra 5. Successit Tentamini Stanislaus Bardettius pertinax Celticista 1771. 1772. et per Linguam Teutonicam, Graecam, et Latinam unâ mixtas et confusas Tabulam Eugubinam vertere adlaboravit, versionemque suam prodidit in libro *Della Lingua de' primi abitanti d' Italia.* pag. 264. 265. Et hac in Tabula nescio quas praedas et furta et fugas tristi et inscito somnio invenit. Hoc enim initium versionis: *Exeunt in fugam parte coniecta, quae diripuerant, positas in Thesauro Urnas. Propedientes voce clamant, petunt, invocant ultorem Terminum, qui exiverat Frater di-*

reptarum custos purificat Fratrum filios etc. Quae ita inepta sunt, ut iurarem ne Bardettum quidem Interpretem capere potuisse quid significent, nec alium umquam capturum. 6. Accessit tandem Lanzius, eamque de more suo saltuatim vertit in *Saggio* III. pag. 694. 697. invenitque in ea *Festum Urnarum Sextantariarum*, etsi Lanzius nullo teste et auctoritate innixus affirmet esse hoc simile festo Attico εορτη χοων: Hinc Lanzio prima Vox ESUNU est Hellenicum εσσομενος, PHUIA vel PUIA, etsi in Inscriptionibus Etruscis fuisset ipsi *Filia*, hîc est ipsum ποιησον Hellenum, et Lanzio Lingua *Eugubina* erat ipsa *Etrusca*: Et *Festum* χοων fit per *supremam usturam* sive *combustionem Urnarum sextantariarum*, quae nihili sunt. Et haec ex versiculo primo, reliqua conferat et examinet Lector. Dabimus modo nostra arbitrantes agi de solemni et liturgico Convivio Fratriaco, et Epulis Ferialibus et Tribulibus summa cura et diligentia a *Fratribus Arvalibus* celebratis.

Ex Vers. 1. 2. 3.

ESUNU PHUIA HERTER SUME USTITE SESTENTA SIARU URNASIARU HUNTAK BUKE PRUMU PEHATU:

Epulares voces, Cantores, promite, inclamate, cithara date carmina, canite hymnos antiquos, egregios, mussitate verba felicia:

1. ESUNU: Mihi est a זן ZUN, הזון EZUN, ESUN *cibus, escae, Epulae*: Posset etiam opportune deduci ab ישן ISN IESN *antiquo, vetere*, vetusto, et respondere sequenti HUNTAK: Sed quum vox ESUNU vel similes homiophoniae saepius in his *Tabulis Eugubinis* legantur, et longe probabilius sit primo, quam secundo sensu sumi, hinc primam potius quam secundam interpretationem probarem.

2. PHUIA a פעה PHOE, PHOIE, *voces, inclamationes*: vel a בוע BUO, בועה BUOE, *voces gaudii*, voces laetitiae, gaudia.

3. HERTER, ab חרז HRZ, HRT .HERT, *Cantor*, *Poeta*, Carminum et Rhythmorum Auctor: am mihi abstracto quocumque Systemate Hermeneutico non dubium quin species quaedam Carminum hac Tabulâ exhibeatur: vel potius *consutor*, et adsutor, *Rapsodus*: Nam חרז HRZ proprie *suere*, *adsuere*: Adeo ut *Herteres Cascorum* nostrorum plane responderint intima potestate *Rapsodis* Hellenum.

4. SUME: שמה SME SUME *nominate*, *invocate*, (active) nuncupate opportunissima repetitione, ad tollendum aoristicismum et homiodynamin Vocabulorum. Potest etiam esse a שום SUM *ponere*, *exponere*.

5. USTITE, ipsum צות TZUT, ITSIT, USTIT, *clamate*, *inclamate*, *vociferate*.

6. SESTANTASIARU: SEST-ANTA-SIARU: SEST a ששת: quae vox a שש SS, שוש SUS *gaudio*, *laetitia* efformatur. Quin pluribus Semitoglossis שושן, SUSN, vel ששן SSUN est *Instrumentum* Musicum, *Hexachordum*, et adeo *Cascis* nostris potuit aeque SEST esse *Hexachordum*, T et N servilibus et *formativis* facile permutatis. ANTA, נתה NTE, ANTE *date*, *promite*: SIARU שער SOR שעאר SOAR, *carmina*, *versus*, cum *Hexachordo Carmen occinite*.

7. URNASIARU: URNA-SIARU רנה-שעאר, RNE-SOAR. URNA, רנה RNE URNE *clamate*, *inclamate*; SIARU שעאר SOAR *Carmina*, *Canite hymnos*.

8. HUNTAK, arbitror esse a חזק HZQ, HTK, nasali inserta HNTK, HANTIK *consuetos*, ex more, ex instituto maiorum. Nam חזקה HZKE *mos*, *consuetudo*, institutum: Si teneri potest quandoque saltem *Cascos* nostros Huain ע Semitoglossorum in *Hu*, *Ha* solvisse, posset etiam opportune HUNTAK deduci ab עתיק OTIK, ONTIK unde Latini fecerunt *Antiquus*.

9. BUKE, BUQUE, ביקא BIQA, BIKA *egregia*, *praestantia*: vel etiam באקי BAKI *perennia*, *perpetua* (duratura), *constantissima*.

10. PRUMU ipsum ברם BRM, BRUM, *murmurate, mussitate*: Addite scilicet preces tacitas, secretas, labiorum mussitatione. Neque hoc vel mirum, vel absurdum, imo prorsus consentaneum moribus veteribus et liturgicis. Erant enim Preces arcanae, secretae, quae labiorum tantum mussitatione erant efferendae: Nec ignorare quemquam puto ex ipsa hac *Labiorum Mussitatione* Medorum et Persarum *Magos* nomen habuisse et tenuisse.

11. PEHATU ipsum בחת BHT *prosperitas, felicitas*, bonus Eventus: Nempe prosperitates perennes murmurate.

Ex Vers. 4. 5. 6.

INUK UKTUR URTES BUNTES PHRATER USTENTUTA PURE PHRATRU MERSUS PHUST.

Ponite Thymiamata, pandite lintea, Frater incendat far: *Epulae Fratriacae diffundantur.*

12. INUK ipsum ינח INC INUC *ponite*, imponite; statuite.

13. UKTUR ipsum קטר QTHR, KUTUR, UKTUR *thymiamata, thuribula*, arulas suffituum sacrorum.

14. URTES ipsum רטש RTHS URTHES *pandite, expandite.*

15. BUNTES ipsum ברש BDS, et nasali inserta BUNDES, BUNTES *lintea, vela*, aulaea, vestes.

16. FRATER, BURA-TRI: בר BR, BUR, FRA, *filius, natus*; תרי TRI *alter, secundus*, qui primus *Frater*. Hîc est *Frater* Politicus, *Frater* adsociatione, ministerio, *Frater Arvalis.*

17. USTENTUTA, USTENT-UTA: יצת-עת TZT-OT: et nasali inserta, ISTENT-OT: scilicet incendant, comburant, עת OT *tempestive, opportune*, liturgice.

18. PURE, πυρον, *far, frumentum* liturgicum, בר BR, BURE PURE.

19. PRATRU, *Fratrum*, Collegii Fratrum.

20. MERSUS: MERS-US: MERZ, מ-רח M-RUZ, *exsultatio, gaudium*, Laetitia. Quin doctus Vir Igna-

tius Weitenaver in suo *Hierolexico*, posuit מרזה, MRZE *Convivium*, *Vociferatio*, et egomet non dubito, quin in Inscriptione Bastensi, p. 134. 136., MARTA non sit hoc מרזה MERZE *Convivium*, et adeo *Cascorum* MERSU, MERZU, *Epulae*.

21. PHUST, פשט PHST, PHUST, *dilatetur*, extendatur late.

Ex Vers. 7. 8. 9. 10.

KUMNAKLE INUK UHTUR BAPERE: KUMNAKLE SISTUSAKRE UBEM UHTUR: TEITU PUNTES TERKANTUR, INUMEK SAKRE UBEM, URTAS PUNTES PHRATRUM UPETUTA. Scilicet: *Sacerdotes Patricii ponite aromata super flammas; Sacerdotes Patricii miscete Sicerae Uveae aromata. Pandite lintea super vallo custode. Miscete Siceram Uveam: Pandite lintea Fratrum ministerio*:

22. KUMNAKLE, KUM-NAKLE. KUM, GUM, quia isti *Casci* non admiserunt G, גמה GME *Gens Familia*, *Fratria*, *adgregatio*: NAKLE ipsum נחל NCL *hereditaria*, genealogica, successiva, a *Patribus* continuo ordine derivata, et adeo necessario nobilis, Patricia.

23. INUK, ינח INC *ponite*, *imponite*.

24. UHTUR, non UKTURU, ut supra pag. 207. quia hoc a קטר QTHR, KUTURU, illud ab עטר, OTHR, GHTR, *aroma*, *suffitus*, *thymiama*.

25. BAPERE, BA-BERE בי-בער, BI-BOR, *super flammas*, in igne.

26. KUMNAKLE, Familia Hereditaria, *Gens Patricia*, pars, scilicet, praestantior *Fratriae Arvalis* universae, ut *Eumolpidae* et *Keryces* Athenis.

27. SISTU: ipsum Latinum *Sistite*, a ש-שת, S-ST vel a Syriaco ששט SST ordinare, disponere, et hic parate, praeparate, miscete, commiscete.

28. SAKRE, a שכר SKR *Sicera*, liquor certa arte paratus, et confectus: *Potus* inebrians vinosus: Sed medicatus, compositus: ut saepissime erant *Potus*

in sacris Veterum ceremoniis adhibiti: Fortasse haud multum diversus a VINU ARPATITU Tabellae aereae Volscae, quam in *Tentam. Osco* supra explicavimus pag. 160.

29. UBEM: arbitror esse ab ענב ONB *uva*, ענבים, ONBIM *uvae*, racemi, extrita nasali, OBIM, UBEM, ut Latini fecerunt *uva*, *uvam*.

30. UHTUR, עטר OTHUR *Aromata*.

31. TEITU תאה-תוה TAE-TUE dirigite, ponite, *pandite*, *expandite*.

32. PUNTES, בדס BDS, BUDES, inserta nasali, BUNDES, PUNTES *lintea*, aulaea, vela.

33. TERKANTUR, TERK-ANTUR. TERK, TERQ a תרק THRQ *Vallo*, *Septo*: qui Locus delectus ad Fratriacam festivitatem erat necessario muniendus, et custodiendus, unde adpositum verbum: ANTUR, נצר NTZR, NTR, *custodire*, *servare*, *protegere*, *defendere*.

34. INUMEK: Arbitror fieri a נמה NMC, INUMEC liquefieri, colliquefieri, et נמך NMK, INUMEK, *premere*, *comprimere*; Quia *Sicera* illa *Sacra*, quasi Graecorum *Cyceon*, ex variis elementis *solvendis*, *premendis*, tundendis erat componenda. Tum INUMEK posset deduci ab ינה INE *vexare*, *premere*, et idiomatice *tundere*, *frangere*, comminuere, et מכך MKK, MK iterum *tundere*, *frangere*, *miscere* unà et *comminuere*: unde מכות MKUT *Triticum contusum*, quod fortasse revera addi potuit isti *Sicerae*, maxime quia ענבה ONBE, et nasali extritâ עבה OBE, unde potuit fieri Cascum UBEM, est etiam *Hordeum fractum*, vel potius *farina hordacea*.

35. SAKRE UBEM: *Siceram liturgicam* ritualem conditam medicatam.

36. URTAS PUNTES: *Pandite vela*, *expandite aulaea*: Quin *ponite Lectisternia*, *parate lectos* Deorum; Nam et haec etiam latitudo Vocabuli.

37. PHRATRUM quasi Latinum *Fratrum*.

38. UPETUTA, UPET-UTA. עבוד-עת OBUD-OT ; עבוד OBUD, UPET *ministerio*, *servitio*, opere, עת OT, UTA, *opportuno*, congruo, convenienti.

Ex Vers. 11. 12. 13. 14.

INUMEK BIA MERSUBA ARBAMEN, ETUTA ERAK PIR PERSKLU URETU SAKRE UBEM KLETRA PHERTUTA AITUTA, ARBEN KLETRAM AMPARITU ERUK ESUNU PHUTU KLETRA TUPLAK PRUMU.

Contusa ova pistillo miscete dulciariis, parate canistros farris et panis, rosas, siceram uveam, placentas: Parate placentas dulces, uvam passam, canistrum ciborum oblatorum, placentam duplicem, quae dividenda.

39. INUMEK, *tundite*, *frangite*, et *miscete*.

40. BIA ipsum ביא BIA *ovum*, *ova*.

41. MERSUBA ipsum מ-רזב M-RZB, M-RSB, *pistillo*, *pilo* mortarii.

42. ARBAMEN, ARBA-MEN, ערב-מני ORB-MNI, *praebens* מני MNI, *dulce*, *dulcedinem* ערב ORB.

43. ETUTA ipsum עתד OTD, ETUD *parate praeparate*.

44. ERAK, ערק ORQ, ORAK *Canistros*, Corbes; PIR *Far*, *farris*, *frumenti* sacri.

45. PERSKLU, PERS-KLU, פריסא FRISA, PIRSA, Syris Panis, cibus, esca: KLU, כלה KLE *perfectus* optimus.

46. URETU, UREDU, ורדו URDU *Rosas*.

47. SAKRE UBEM *Siceram uveam*.

48. KLETRA: a כליטא CLITA Chaldaeorum *Placenta*, Libum, ut pluribus adnotat Mazochius ad hunc locum *Opusc.* T. III. pag. 179. 180. Puto tamen non corruptam Radicem Rotacismo ab *Arvalibus*, etsi hi R abutantur in fine vocum, sed composuisse vocem ex רעה ROE *edere*, *comedere*, ut Kletra esset, quasi כלט-רעה CLTHROE, nempe KLETRA, quae non Diis comburenda et absumenda offerretur, sed quam ipsi comederent et absumerent.

49. PHERTUTA, verto cum Mazochio cit. loc. p. 183. *plenam*, *fartam*, nobis Italis *imbottita*.

50. AITUTA עתד OTD, OTUD *parate*, *praeparate*; nil obstat levis orthographiae immutatio.

51. ARBEN ערבין ORBIN *dulces*, *dulciarias*.

52. KLETRAM, *Placentas*, *liba*.

53. AMBARITU, AMBA-RITU. AMBA, ענב ONB, AMBA, *Uvam*, *Racemos*, RITU, רז RZ, RT RITU siccos, exsiccatos, *uvam passam*.

54. ERUK ערק ORQ, ORUK *canistros*, *corbes*.

55. ESUNU, ה-זון E-ZUN, *ciborum*, *escarum*.

56. PHUTU, פתא PHTA *simplicium*.

57. KLETRA TUPLAK: *Placentam*, TU די DUI, *duplici*, PLAK פלך PLK *orbita*, *solo*, *fundo*, praeditam.

58. PRUMUM: ipsum פרם PRM *dividere*, *scindere*, distribuere.

Ex Vers. 15. 16. 17.

ANTENTU INUK GIHGERA, ENTENTU INUK KAXI PHERIME, ANTENTU ISUNT PHEREHTRU, ANTENTU ISUNT SU PHERAKLU, ANTENTU etc. etc.

Accuratissime apponant Gigeria, *accuratissime apponant partes Victimarum*, *accuratissime appendant Polentam*, *accuratissime appendant aequaliter Escas comedendas*, *accuratissime* etc. etc.

59. ANTENTU: si ab עתת OTT, nasali inserta ONTENT, erit *opportune*, *congruenter*, suo tempore: si ab עתד OTD, unde Syris est עתידאית OTIDAIT, et cum nasali ONTINDAIT, *attente*, *accurate*, sedulo, obedienter: si a נצת NTZT, NTIT, ANTINT Arabum *obedivit*, *attendit*, *intendit*, erit accurate, accuratissime.

60. INUK: *ponite*, *apponite*.

61. GIHGERA, in Textu DIHDERA. Acutissime Mazochius loc. cit. pag. 192. 193. hic vidit *Gigeria* Festi *ex multis Opsoniis decerpta*: Et egomet arbitror esse quasi ציץ-רעה TZITZ-ROE, sive frag-

menta *fragmina* coniuncta. Nam istae *Placentae* (Pasticci): ita saepe efformantur: et certum, ut alibi adnotavimus צ TZ *Tsade* Orientalium Italico ore saepe fieri CIA, CE, GIA, GE.

62. ANTENTU: *accurate*, *diligenter*.

63. INUK, *Ponant*, *apponant*.

64. KAXI, ipsum חצי CTZI, *partes divisas*, portiones dimidiatas, abscissas. Nam agitur de magno Convivio.

65. PHERIME, ipsum פרימה PHRIME, *victimarum*, *hostiarum*, quae sunt lacerandae et dividendae.

66. ANTENTU, *accurate*, *opportune*.

67. ISUNT, יצנת ITZNT, ISNT, ab יזה IZE, ISE, *aequalis*, *par*, aequaliter: יזע IZO, ISO *dividere*, *distribuere aequaliter*, יזן, IZN, ISN, *ponderare*, *appendere*, aequaliter tribuere. Nam hic non puto agi de vera trutinatione, et ponderatione cum Statera et bilancibus: Sed de illa qua utuntur omnes Coqui Coenobiorum in cibis Societati suae ministrandis, tribuendis, dividendis.

68. PHEREHTRU: fortasse a פרכ-תרע, PHRK-TRO. Nam פירוכן PHIRUKN, *frumentum fractum*, פרכ PHRK est etiam ipsa *Polenta*, *Puls*, et תרע, TRO est *rumpere*, *frangere*, comminuere. Quae Synonyma non infirmant, sed firmant Etymon.

69. ANTENTU *accurate*.

70. ISUNT, *aequaliter dividant*, partiantur.

71. SU, SUE, שוה SUE, שוא SUA, *aequaliter*.

72. PHERAKLU, PHER-AKLU, vel פר-אכל PHR, PHR, *pars*, *portio*, *fragmina*: אכל ACL *edulia*, *comestibilia*, comedenda, ab אכל AKL *edere*, comedere; et a פרה PHRE, *fructus*, *cibi*, opsonia.

73. ANTENTU accurate: etc. etc.

SPECIMINA ETYMOLOGICA

In demonstrationem Systematis Glossogonici indicati in *Tentam. Herm. Etrusco* pag. 252. 259. 276. 277. etc. Praefatione secunda *Tentam. Hierographicor.* et *Etymologicorum:* et Praefat. tertiâ Voluminis huius.

SECTIO I.

SPECIMEN ETYMOLOGICUM GRAECARUM RADICUM.

I. *Etyma Homiophona.*

Αγαλλιαω exsulto, a גול GUL, ה-גול E-GUL.
Αγχω ango strangulo, אנק ANQ, עק OUQ.
Αγειρω congrego aduno, אגר AGR.
Αδρος plenus magnus אדיר ADIR magnificus.
Αδω celebro, *αειδω* cano, *αηδων* luscinia, ab הד, ED, הידד EIDD clamare, הודה EUDE laudare.
Αετος Aquila, עיט OITH.
Αιδιος aeternus, ab עד OD AID aevum.
Αιθω uro accendo, איד AID *titio.*
Α'λλομαι salio salto, a חלל HLL ALL.
Αλος, *αλυς* molestia, Αλυσσω moleste fero, ab אלץ ALTZ vexo.
Α'μα cum simul, עם OM.
Αμαλος mollis tener, ab אמל AML.
Ανθος flos floris נצ NTS.
Απαταω decipio, Απατη fraus, a פתה PTE, ה-פתה EPTE.
Αρασσω destruo הרם ERS.
Αραχνη Aranea, ab ארג ARG texere.
Αρπαζω rapio, חרפ HRP ARP.
Αυγη lux splendor, הגיה EGIE.

Βαζω loquor, בטא BTHA.
Βαω gradior incedo, בוא BUA.
Βορα pabulum, ברה BRE.
Βωμος altare, במה BME *excelsum.*
Γειτων propinquus vicinus חתן CTN.
Δεμας instar sicut דמה DME assimilare.
Θυρα porta, תרע TRO.
Εγειρω excito, עיר OIR GOIR EGOIR.
Ειδω video, ידע IDO.
Εικω sum similis, היך EIK.
Εϛια focus, אשת AST.
Καιω uro accendo, כוה KUE.
Καλω voco convoco, קול QUL, קהל QEL.
Κανων Regula, כנון KNUN.
Καρφω exsicco a כרב CRB CRP.
Ισχιον coxa femur, שוק SUQ ISK.
Κλειω claudo, כלא KLA.
Κοπτω praecido, קפד QPD.
Κραδαω quatio, a כרד KRD, unde Καρδια, et *Corde* Latinorum.
Κρεκω strido, כרק CRQ.
Κυλεω volvo, גלל GLL.
Κυμα altitudo קומה QUME.
Λαιμαω edo comedo, לחם LHM cibus *esca*, et לעם LOM *cibum sumere*, *manducare.*
Λαιφος vestis, לביש LBS.
Μαλαχη malva, מלוח MLUC.
Μιζω sugo, premo מצה.
Μισγω misceo מזג MZG.
Ναιω habito, נוה NUE.
Νεαρος puerulus, נער NOR.
Νευω innuo נוע NUO.
Νοσος morbus אניש ANS.
Οινος vinum יין IIN.
Ομιλεω alloquor, מלל MLL, מלא MLA.
Οραω video, ראה RAE, ORAE.
Οργαω cupio רגה RGE ORGE.

Οχλος turba קהל QEL.
Σειρα catena שירה SIRE.
Σκυλαω spolio שלל SCLL.
Συραω proficiscor a שור SUR *recedo*;
Συριγξ fistula a שרקה SRQE *sibilo*.
Σφαλλω deiicio, שפל SPL humilis.
Τρεφω nutrio, טרפ THRPH.
Φραζω loquor, φρασις, a פרש PHRS. etc. etc.

II. *Etyma Temurica*, *Metagrammatica*.

Αβροτη nox tenebrae, ערב ORB, ערבת ORBT *caligo nox*.
Αγαπαω amo, עגב OGB.
Αγγελος angelus, quasi *Amkelos* a מ-לאך M-LAC *missus legatus*.
Αγγος angos, vas vasis, אגן AGN.
Αγερωχος *durus* superbus, ab עגר OGR COGR.
Αγιος sanctus pius, חסה CSE.
Αγλαος lucidus splendidus זלק ZLQ, אזלק AZLQ.
Αεξω augeo, שגה SGE.
Αλισκω capio corripio שלל SCLL.
Αμαλλα manipulus אלמה ALME.
Ανεμος flatus spiritus נשם NSM.
Αςηρ Stella צהר TZER.
Αυλαξ sulcus a שעל SCOL SCAUL, vel a שלג SLG *ruptura*.
Βλαισος blaesus a לעז LOZ LVOZ LBAIS.
Βραχυς brevis, a בצר, BTZR, BCR.
Βροσκω comedo manduco שבר SBR *frango cibum*.
Γαμος γαμου Nuptiae, גמע GMO copula.
Γενυς Barba, a זקן ZQN maxilla.
Δικαιος iustus, צדיק TZDIQ SDIK.
Εορτη Festum, עצרה OTZRE.
Ερωταω interrogo, עתר OTR.
Θεμις lex, ius a מדד MDD MD *metrum*.
Καρπος fructus, a פרח PRC germen;
Κατα sub תחת TCT.

Κληρος Sors sortis, גרל GRL.
Κοσκινος cribrum vannus, a זכך ZKK *purgare*.
Κοσμος Mundus a שמיא SMI A coelum mundus.
Ιχθυς piscis, דאג DAG, vel חות CUT ICUT, ICTU.
Οσσα vox, שוע SSUO.
Ποθος desiderium, שטפ STHP.
Πτερον ala, אבר ABR, אברת ABRT.
Ραπτω suo consuo, תרפ TRP.
Ρημα verbum אמר AMR.
Ρυγχος rostrum נקר NQR.
Ριζα radix שרש SRS.
Ροδον ῥοδου rosa ורדה URDE.
Σαος salvus ישע ISO.
Σκηπτρον sceptrum שרבית SCRBIT.
Σπειρω spargo פזר PZR PSR.
Στεφανος corona צנפ TSNP.
Σωμα corpus a מש MS palpare attrectare.
Τοξον arcus קשת QST KST.
Τρυξ mustum תריש TRISC.
Φως lux יפע IPHO.
Χοιρος porcus חזיר CZIR CSIR.
Χορτος foenum חציר CTSIR.
Ωκυς velox חוש CUS. etc. etc.

III. *Etyma composita.*

Αγκιστρον hamus, ענק-צור ONQ-TZUR: ***Res curva constringens.***

Αδελφος frater, טל-פש THL-PHS, טל THL ***puer, infans***, פש PHS ***auctus, additus;*** Nisi mavis ab Ατερ-φορ, quasi תרי TRI ετερος ***alter, secundus***, בר BR ***filius***, ipsum ***frater*** Latinorum.

Αλοχος uxor coniux, temurice Sochola, Soch-ola, זוג ZUG ZUCH ***iugum*** adiugata, Ola, על OL iterum ***adiugata*** coniugata.

Αμαυρος obscurus, tenebrosus, ab עמ-עור OM-OUR, ***obscurus, coecus***: non ducerem a מ-אור et *a* privativo.

Αμαρισσω splendeo luceo, ab עמ-רץ OM-RTS tenebras pello.

Αμορβης obscurus, tenebrosus עמ-ערב OM-ORB, *obscurus, tenebrosus.*

Α'μαρτια peccatum error, a מאר MAR *transgressio*, mutatio, et טעה THOE *error fallacia*, et inverse ab עות OUT TIA *perversitas, pravitas*, et רמה RME *dolus, fallacia.*

Αμπελος vinea, vitis ad uvam, ענב-אל ONB-AL, *ambel, ad uvam.*

Ανθραξ carbo, ανθ-ραχι, איד-חור AID-CUR: ANDRUC *titio ustus.*

Ανθρωπος homo, ανθρ-ωπου, a נדר-פה NDR-PE *nuncians*, indicans ore, loquens; vel נטר-אפ NTHRAP videns cernens facie, in faciem erectus, V. Ovid. Metam. I. v. 85. 86.

Αριθμος numerus, αριθ-μου ab עמ OM unâ simul multa, עדר ODR OTHR αριθ *ordinare*, disponere: vel a דור DUR ordo *series*, עמ OM *coniuncta.*

Αριστερα sinistra manus, temurice αρε-στιρα, scilicet, αρι, αδε איד AID *manus*, צער TZOR στερα minor, infirmior.

Αστραγαλος os pedis, talus, ας-ραγαλου: ab עצמ OTZM, עצ OTS, *os ossis*, et רגל RGL ραγαλου *pedis.*

Αστραπη fulgur, lux vehemens ab צהר-יפע TZER-IPO *lux vivida*, scintillans.

Βασιλευς Rex Rector, משל-איש MSL-AIS, BSL-AIS, *dominans, imperans homo.*

Βρεφος infans בר-פס BR-PHS, *filius parvus*, minutus.

Δεξια dextera manus, temurice *aiets-ed*, עצ-יד OTS-ID *fortior manus.*

Δεσποτης dominus princeps, די-שבט DU-SBTH *dominus Sceptri*, Tribus, Gentis.

Δευτερος alter secundus, a תרי TRI *alter*, et טוי THUI DUI, טי THI *duplex* geminatus.

Εκκλησια conventus congregatio εκ-κλη-σια ab הכ EK היכ EIK *venire, advenire*, convenire, et קהל,

OEL *congregatio*, et סוע SUO, סיעא SIOA iterum *congregatio conventus*.

Εσχαρα focus foci, אש-כיור AS-CIUR Ignis Vas, *focus*.

Ἡμερα dies diei, יום-אור IUM-AUR, *Dies*, et *Lux*.

Θαλασσα mare, inverse *Assa-lath*: שוע-לט SSUO-LTH *fluctus volvens*, advolvens.

Κιβδηλος adulterinus, falsus, fraudolentus, a בגד, BGD *fraude*, *dolo*, et אלץ ALTS *noxius*, *maleficus*.

Καθαιρω mundo, purgo, καθ-αιρω: חטא-ער CTHA-OR, *peccata*, errores aufero, tollo: vel חריא-טהר CUIA-THER *notas*, *signa* purgo, mundo.

Καρχησιον Vas, scyphus, כור-כוס CUR-CUS, *vas*, et iterum *Vas*.

Κελαδος strepitus Κὲλ-αδου קול-ידה QUL-IDE *Vox*, clamor, sonus.

Κλιβανος furnus, Κλι-βα-νου: קלי-בא-נוה QLI-BA-NUE *locus factus* ad *torrendum*:

Ομβρος imber pluvia, עב-רוה OB-NUE, *Omb*, *nubes stillans*, distillans.

Ὁμιλια turba coetus, colloquium sermo, a מלל MLL ה-מלל E-MLL *loqui*, *colloqui*, vel עם-לוה OM-LUE *turba caterva coniuncta sociata*.

Ονομα ονομα*τι* nomen nominis, ab ענה ONE *Vox*, vocabulum, et מד MD *ματι metitum*, *proprium*, adpositum, quod *nomen*.

Οφθαλμος oculus, temurice סמל-טפ SML-THPH *Similitudo Pueri*, *Simulacrum Pupulae*: unde Κορη, et Pupilla.

Πολεμος Bellum, a בהל BEL POL *trepidatio*, concursatio, pavor, et המה EME *tumultus turbatio*.

Πονηρος pravus malus, qui פנה PNE *pane* vertitur, convertitur, *versipellis*, רעע ROO RO *malus pravus*.

Πρεσβυς senex, פרע-שיב PRO-SIB, שיב SIB *Senex*, פרע PRO *emeritus*, liber a munus publicis, vacuus prae aetate.

Στερνος pectus צור-נאם TZUR-NAS *Robur hominis*.
Στρογγυλος rotundus a ש-תור-גל S-TUR-GL, תור TUR *gyrans*, et גל GL *vertens rotans*; ש S intensivum elementum.
Τπεριων lux magna, Sol, temurice *Nior-epy*, נהר-יפע NER-IPO *lux splendidissima*.
Φαρμακον farmacum, a מק MQ res quae solvitur liquescit, et רפא RPHA *sanat*, *medetur*. etc. etc.

IV. *Etyma aucta, paragogica.*

Αγελαδα Iuvenca, vitula עגלה OGLE *Agele*.
Βροντη tonitru, *B-rom-te*, a רעם ROM *brom*.
Δρυπτω lacero טרף TRPH DRP.
Εψω coquo EP-SO ab אפה APE *coquere*.
Θαπτω sepelio, *Thap-to* טפי TPHI *mortuus*.
Θεραπευω sano medeor, a רפא RPA *mederi sanare*.
Ιασθαι mederi ab אסי ASI.
Ιστημι pono statuo a שות SUT.
Κλυζω lavo, perluo a חלל CLL.
Κολαπτω tundo, contundo a כלפ KLP.
Κρυφιος, κρυπτω a חפה CPE *operire*, abdere.
Κτυπεω pulso strepitum edo a כ-תפ K-TP.
Μακαριος beatus a מ-אשר M-ASCR.
Μακρος longus, מ-ארך M-ARK.
Μετρον mensura a מדד MDD.
Πλατυς latus amplus a פתא PTA.
Πτερον ala אבר ABR.
Σμηχω tergo, abstergo a מחה MCE.
Σμυχω attero, contero a מוכ MUK.
Ψυχω spiro flo a פוח PUC.
Ωψ facies ab אפ AP, פה PE. etc. etc.

V. *Etyma aphaeretica decurtata.*

Αθρεω video, αθρειν, נטר NTHR.
Αρχη, αρχης principium: ראש RASC.
Γαλα γαλακτος lac, חלב CLB. GL-B.
Γλωσσα, γλωσσαν Lingua לשן LSKN.

Δικη, δικης iustitia a צדיק TSDIK
Λειχω lingo לחכ LCK.
Μελι μελιτος mel a מלץ MLTZ *dulce*.
Ροφεω ροφεις sorbeo sorbes שרב SRB.
Ψυχη ψυχην anima נפש NPSC.

VI. *Etyma exallatica.*

Αμνος αμνου agnus ab אמר AMR.
Ανηρ ανδρος vir ab אנש ANS, ANIR.
Αρεσκω placeo a רצה RTZE.
Γειτων vicinus a נגש NGS NGT.
Διδυμοι a תאמים TAMIM.
Ειρηνη pax a לון LUN, לין LIN לאן LAN quies, requies, praeposita ה E.
Ελπις spes spei, a שבר SBR SPL.
Επτα septem a שבע SBO.
Κειρω tondeo a קרח QRC.
Κερας κερατος cornu a קרן QRN.
Μαχομαι pugno a לחם LCM.
Ορφνη caligo, ab ערפל ORPHL.
Χθων χθονος Terra a תחת TCT.
Ψυλλος pulex a פרעש PROS. etc. etc.

Sectio II.

SPECIMEN ETYMOLOGICUM LINGUAE LATINAE.

I. *Etyma Homiophona.*

Adeps adipis a טפש TPS, DPS, *pinguis* crassus.
Ager agri, agricola ab אכר ACR, כרה KRE *fodere effodere*.
Altus, celsus ab על OL, עלת OLT, *alt.*
Amarus amari a מר MR.
Aperio, *aperis* a באר BAR, פער POR.
Asper aspera שבר SBR, SPR.
Cadus cadi כד KD.
Carbo carbonis a חרב CRB siccus exustus.
Clamo clamas a כלם KLM dicere, vox, clamor.

Copula , Copulo a כפל KPL duplico adiungo.
Cornu קרן QRN.
Corvus ערב ORB , CORB.
Crus cruris a כרע KRO.
Eiulo eiulas ab הילל EILIL.
Falx Falcis a פלג PHLG divido *seco*.
Furca Furcae a פרק PHRQ.
Modius modii , a מדד MDD , מד MD *mensura* , metrum.
Sanus sani שאן SAN.
Seria seriae vas a סיר SIR *olla*.
Similis simile a סמל SML.
Tueor tueris a תור TUR pro שור SUR *cernere*. etc. etc.

II. *Etyma Temurica.*

Accendo accendis a קדח QDC , nasali inserta.
Aeger aegri a כריה KRIE aegrotus.
Aequum aequi a קוה QUE.
Aheneus a נחש NHS.
Amoenus amoeni a נעם NOM.
Amurca amurcae a חמר CMR faex.
Ancilla amcilla a מלאך MLAK missa.
Anguis anchis est נחש NCS.
Animus animi נשם NSM.
Ansa auris vasis , אזן AZN ASN.
Arista aristae a רצע RTSO pungere.
Casa casae a שוח SUC.
Cano cecini a נגן NGN , NCN.
Castrum castri a חציר CTSIR.
Cibus cibi a בג BG , BC.
Corpus corporis a פגר PGR PCR.
Coruscus a שרק SRQ SRK.
Cras crastino die שחר SCR Aurorâ,
Dormio dormis a רדם RDM.
Fingo pingo a פחם PHCM assimilo.
Frigus frigoris a חרף CRPH GRF..
Gradus gradior a דרג DRG.

Gula gulae a לעג LOG.
Hostis extraneus a חוצ HUTS
Ius iuris a שוה SUE, et ישר ISR recto.
Laetor laetaris ab עלז OLZ.
Locusta locustae a חסילת CSILT.
Malleus mallei הלמ, ELM.
Malum mali, dolor עמל OML.
Manus manui ימינ IMIN.
Merum vinum quasi Meherum a חמר HMR.
Moenia, munio a מנע MNO arceo.
Mola molaris dens לעמ LOM.
Oscines aves a נחש NCS augurio.
Palea paleae ab אבל ABL.
Passer passeris a צפיר TSPIR.
Plicare duplicare a כפל KPL.
Pretium, precium a כפר KPR.
Pubes pubis ab הבב EBB flos floris, vel זבב ZBB, SBB *Pubes*.
Quaero, quaeris a בקר BQR, VQR.
Ramus rami אמיר AMIR.
Rapio rapit חרפ HRP, טרפ THRP.
Rumpo rupi פור PUR.
Salio salis עלס OLS.
Saltus nemus ab אשלת ASLT.
Sanguis, Samquis a שמק SMQ ruber,
Scala scalae סלק SLQ SLK.
Scando scandis נסק NSC.
Scribo scribere ספר SCPR SCBR.
Seco secare a גז GUZ CUS, גזר GZR GSR.
Senex Senec-s, זקנ ZQN SCN.
Silex silicis a סלע SLO, SLIC.
Sitis, sitio ab עטש OTHS.
Spargo sparsi a פזר PZR PSR.
Spatium spatii, a פצה PTSE.
Squamae squamarum a קשימ QSIM.
Stips stipis, stipare, stipendium a פצ PTS, פצה PTSE.
Umbra, ubra ערב ORB nigredo.

Urtica urticae קרוץ QRITZ, CRITS.
Vermis רמס RMS repere.
Vicinus vicini שכן SKN. etc. etc.

III. *Etyma Composita.*

Abdomen Ab-domen אוב-דמן AUB-DMN אוב AUB corpus tumens, דמן DMN faecibus.
Accipiter Accipi-ter, qui כאפ-תור KAP-TUR, qui ad rapiendum gyrat: אחז AHZ AC capere, כאפ, KAF unguibus, תור TUR quaerit.
Accommodo accommodas, איך-מד AIK-MD iustâ mensurâ apto metior.
Acervus acervum, אגר-פיש AGR-PS coacervatio crescens, magna: si VUM, erit a במה BME alta, elevata.
Aetas aetatis, עת-אתה OT-ATE tempus proprium opportunum adveniens.
Aeternus דהרי-נוה DERI-NUE, semper manens.
Alimentum Al-imen-tum, איל-אמנ-תמ: Roborans nutrimentum plene.
Alumnus qui nutritur עלל-אמן OLL-AMUN puer nutritus.
Amplector amp-lec-tor, אפ-לקח-תור AP-LQH-TUR, אפ AP, amp, circum, multum plene, לקח LQC capere, arripere, תור gyrando, advolvendo.
Apica ovis glabra ventre: אבקא ABQA vacua, קבה QBE KBE ventre.
Aratrum aratro ארעא-תרע AROA-TRO, Terram arvum aperiens, lacerans.
Arcanus arcani, רוז-נוה RUZ-NUE, ארזא-נוה ARZA NUE continens, servans secreta.
Audax Aud-acs, עדאחז OD-AHZ habens, continens עד OD, vim animi, audaciam.
Autumnus, Aut-umni tempus feuctuum, ciborum. עת-אמונ OT-AMUN, עת-מני, OT-MNI tempus tribuendi, dandi.
Avarus אבה-רוז ABE-RUZ amans recondere, reponere.

Avena avenae, אב-אין AB-AIN fructus nihili.
Bellum belli בהל-המם BEL-EMM turbatio vehemens, quatiens.
Calendae קלא-עד QLA-OD END, convocatio festi.
Capanna חפה-נוה CPE-NUE, tecta domus, habitatio tegens.
Caterva, עתר-בוא OTR-BUA, COTR-VUA multitudo turba veniens.
Cimex cimicis, חמה-אחז CME-ACZ murum parietem habens.
Circulus circuli כרכ-לוה KRK-LUE res curva, coniuncta, rediens in se.
Clathri clathrorum, cancelli כלא-תרע KLA-TRO, claudens porta.
Clemens clementis, חמל-אנש CML-ANS misericors homo.
Coluber colubri, קל-עבר QL.OBR celerrime gradiens, transiens.
Columna, עלה-אמנ OLE-AMN, vel על ה-מנע OLE-MNO: Res alta, celsa עלה OLE, firma, stabilis אמנ AMN, vel מנע MNO arcens, obsistens.
Congregare עם-אגר-גור, OM-AGR-GUR: *Con* est עם OM, *cum* unâ, simul: *Gre* אגר AGR adunare, coadunare, *Gare* est גור GUR huc illuc cursando, circumeundo.
Consilium, Consulo, Consul a עם OM unâ, simul, שאל SAUL interrogo, rogo, quaero, investigo.
Coquere, עג-חרה OUG-HRE admovere, imponere igni, et quasi urere.
Crapula crapulae; כרה-בלע KRE-BLO: Ciborum ingurgitatio, Convivii devoratio.
Culter cultri, חלל-תרע CLL-TRO forans, perforans, rumpens, dividens.
Curvus curvi, כרע-בוא KRO-BUA curvus incurvus factus.
Dextera manus, ipsa temura ערץ-יד ORITZ-ID, fortior manus.

Dominus domini, דו-מני DU-MNI dominus tribuendi, dandi, largiendi.

Exemplum exempli, היכ-סמל-פעמ EIK-SML-POM: similitudo, typus, forma, impressio.

Ferveo ferbui בער-בוא BOR-BUA aestum, calorem, ignem emitto, effero.

Foedus foederis, פרדה-רעה FDE-ROE salus, liberatio, redemtio socia coniuncta.

Foemina foeminae, יפה-מין IFE-MIN pulcra forma: vel אפ-נעמה AF-NOME, facie venustâ.

Forceps For-cip-is: בער-כפ-יש BOR-CP-IS: Scilicet יש IS *Res* supellex, כפ KP *capiens*, בער BOR, rem ignitam ferventem.

Fornax For-na-cis בער-נוה-כוס BOR-NUE-CUS; Sive בער BOR *incendii combustionis*, נוה NUE *domus* sedes, כוס KUS *cava* concava.

Frater fratri בר-תרי BR-TRI, filius alter secundus.

Frumentum בר-אמנ-תמ BR-AMN-TUM: Far, cibus, nutriens optime.

Fulmen fulmini: פל-מני, FL-MNI augurium dans.

Homo, Homines: עמ-נאס OM-NAS, coniuncti, adsociati homines.

Illustris illustre הלל-צהר BLL-TSER lucidus, splendidus.

Irrigare ירה-גור IRE-GUR: Nam ירה IRE est *irrigare*, et גור GUR huc illuc גרה GRE trahendo, ducendo.

Iuvenis הבה-נאס BBE-NAS, florens homo.

Laterna, qua lux latet, לט-נהר LTH-NER.

Loquor loquere קול-ערה QUI-ORE voce sono oris aperire manifestare.

Madidus madidi מיא-די-די MIA-DI-DI. Nam מיא MIA *aqua*, די-די DI-DI *copiosa* abundans.

Mulier mulieris מיל-ערס MIL-ORS bona sponsa, felix nupta.

Mustum musti עסימ-תמ OSIM-TM succus bonus, perfectus.

Obscurus obscuri עב-שחר OB-SCR tenebrosus niger.

Optimus optimum טוב-תם THOB-TM OBT-TM perfecte et plene bonus.

Peccatum peccata, בוכ-חטא BUC-CATHA, בוכ BUK Arabibus peccatum grave, חטא CTHA peccatum.

Procella procellae a ברק-הלל BRQ-ELL, fulgurare, coruscare.

Prosapia prosapiae, quasi Pro-sapiha, פרע-שפחה PRO-SPHE liberorum, ingenuorum hominum generatio.

Quasillus corbis, קוה-סלל QUE SLL, קוה QUE adgregare, סלל SLL corbis, cophinus.

Robustus robustum אביר-עצם ABIR-OTSM.

Sacerdos sacerdoti זכר-דעת ZCR-DOT, Traditionum, Memoriarum sciens, sapiens, doctor.

Sanguis Samguinis: סמק-יש SMQ-IS: res substantia rubra, rubens: Samgui-nis: *Res hominis rubra.*

Sarculus sarculi, חרש-אל-יש CRS-AL-IS, יש IS, *Res* supellex, אל AL spectans *ad*, חרש CRS, fodiendum.

Scintilla scintillae; שד-הלל SD-ELL res iaculata, eiecta, lucens, splendens.

Scutica Scut-icae: שוט-יכח SCUTH-ICC, flagellum castigans, redarguens.

Secretum Sec-reti, שוח-רוז SUC-RUZ sermo arcanus.

Sermo Serm-one, מסר-ענה, MSR-ONE. a מסר MSR communicare tradere indere, et ענה ONE responsum, effatum, verbum.

Silentium, Sile-n-tium, Silen-tium a שלה SLE, vel שלום SLUM quies, pausa, finis: et דומה DUME ipsum silentium.

Silicernium, sive Epulae funebres: a שלה-כרה-נהא SLE-KRE-NEA; nempe נהא NEA congregatio, adsociatio, כרה KRE convivalis, שלה SLE silentum quiescentum.

Spelunca Spel-unca, שפל-עמקה SPL-OMQE, Cavea depressa profunda.

Stagnum stagni, שת-אגם ST-AGM stans lacus, stantes aquae collectae.
Tempestas tempestatis תנף-סתה TNP-STE: nempe Typhon, diluvium, tempestas, hyems.

IV. *Etyma adaucta paragogica.*

Antiquus antiqui, עתיק OTIQ ATIQ antiq.
Basis basis אשיש ASIS-B.
Bonus bona חנן EUN, B-eun.
Claudo, Clavis a כלא KLA-d.
Cribrum cribri כביר KBIR-R.
Forma formae a פעם FOM-R.
Macellum macelli a מ-חלל M-CLL laceratio, transfossio, מ-אכל M-AKL ad comedendum.
Mensura mensurae a מ-שער M-SOR.
Migro migras, מ-גור M-GUR vagor, peregrino.
Molestus, molestans a מ-אלץ M-ALTS affligens molestans.
Scorpius scorpii עקרב OQRB OCRP-S.
Somnus somni נומה NUME-S.
Stercus, דרק DRQ, TRK-S.
Stimulus stimuli, למד LMD, LMT-S.
Strix strigis דרקה DRQE-S.

V. *Etyma imminuta, aphaeretica.*

Algeo frigeo alges שלג SLG nix nivis.
Anima, animus, נשם NSM.
Arca arcae ארגז ARGZ.
Augeo auges שגה SGE.
Cano cecini נגן NGN, vel ONE cone.
Caro carnis שאר SCAR.
Cupio cupis cupit, חפצ CPTS. etc. etc.

*

SECTIO III.

SPECIMEN ETYMOLOGICUM LINGUAE SAMSCRITICAE.

I. *Etyma Homiophona.*

Aadi primus, אחד AHD, Aad, unus.
Aula aulae, ab אהל AEL tabernaculum.
Abela debilitas, defectus virium, אבל ABL.
Abhiri fortis intrepidus, אביר ABIR.
Adhara mons montis, טור THUR *Adhur*.
Admi homo אדם ADM.
Agiana, aciana ovis, צאן TZAN, *cian*.
Aham dies diei a יום IOM *hiom*.
Aharia mons montis ab הר ER *aher*.
Ake iuncus אחו ACU.
Ale salio עלה OLE.
Alou infans עול OUL.
Am mater אם AM.
Amara princeps Emirus אמיר AMIR.
Amiszam amisza, caro cruda, אמץ AMTZ, *Amist*.
Barhi ignis combustio a בער BOR.
Bavani sum fio, a בוא BUA *Bava*.
Beda veda lex praeceptum a בטא BTHA, VEDA.
Bima terribilis gravis בהם BEM.
Bittam pars portio פתת PTT, PT, nobis *fetta*.
Cama amor a חום CUM calere.
Crisi opus labor חריש CRS.
Cumara puella virgo, a קמר QMR, CMR.
Daita charus amatus, דוד DUD, *daid*.
Gama societas, vicus, pagus, גמע GMO, vel עם, OM, GOM.
Gelam aqua, a גל GL fons scaturigo.
Hari Leo leonis אריה ARIE.
Harmiam Palatium ארמון ARMUN.
Hudadi pungere חדד HDD.
Ishora dominus herus שר SR.
Kana baculus virga, a קנה QNE *Canna*.

Kirana radii solares קרן QRN Krn.
Leham cibus esca, לחם LHM.
Maha magnus, multus, μεγας a מאה MAE centum, sed origine *multum*.
Nana filius puer, נין NIN.
Netra oculi a נטר NTHR *videre cernere*.
Nicciana quies requies, a נוח NUC: Et si vis a נוה-נוח NUC-NUE quietis locus.
Nir aqua ipsum נהר NER.
Pala dominus בעל BOL.
Patram Patera a פטר PTHR patens.
Pinam cadaver a פני PNI defunctus mortuus.
Pragia generatio productio a פרה PRE, פרח PRC, et פרג PRG.
Ratha currus rota a רוץ RUTZ RUT, et רט RTH.
Sachti coxae שוק SUQ, שוקת SUKT.
Sciabidi dormire, quiescere שבת SBT.
Shacchi arbor, rami a שוך SUK.
Shila lapis silex סלע SLO.
Suadi bonum principium, סעד SOD felicitas.
Succia rigatio irrigatio שוק SUQ.
Uchma aestus calor חום CUM.
Ugiana hortus nemus גן GN.
Vada loqui בטא BTHA.
Viduani sapiens doctus ידעני IDONI.

II. *Etyma Temurica.*

Acasam Coelum שמיא SCMIA.
Acsini oculi a שכה SCE cernere.
Angui corpus corporis a גוה GUE, nasali inserta.
Apacita sacrificium a זבח ZBC, טבח THBC, TPC.
Assua equus equi סוס SUS.
Bhoga delectatio amor עגב OGB.
Bravidi loqui colloqui דבור DBUR.
Bresza eiectio expulsio פרץ PRTZ.
Cali taurus עגל OGL.
Calya aeger a חלי CLI morbo.

Casara taurus a שור SCUR.
Cauleia canis כלב KLB CLV.
Ciaksa oculi a שכה SCKE videre.
Cranam nasus nares a נחר NCR.
Kris-na niger a שחר SCR.
Daham sitis טמה a THME, DAM.
Do manus יד ID.
Duar porta θυρα תרע TRO דורי DURI Ianitor.
Gar vox sonus גרא GRA *Gra.*
Ganam *Gayana* cantus cantare, נגן NGN.
Gharba Garva superbia גברה GBRE.
Gheham Domus familia גמע GMO.
Graha Planeta a גור GUR erro.
Khina gemens נאק NAQ NAK.
Moksa Coelum שמיא SMIA.
Naiaca possessor herus קניה QNIE.
Nathi Dominus אדני ADNI.
Niama norma regula, אמונה AMUNE.
Nisha nox tenebrae, אשון ASUN.
Nishacara Luna lunae אשון-ירח ASUN-IRC.
Paricca fovea fossa קבר QBR.
Pataca peccatum בגד BGD.
Patram folium, טרף THRP.
Pudgia sacrificium a דבח DBC.
Raca Luna plena ירח IRC.
Regiam Retam, semen seminis זרע ZRO GIRO.
Rocham foramen חור CUR.
Rotschi splendor lux צהר TZBR.
Rusci desiderium, רצה RTZE.
Shira caput ריש RIS.
Shiroti collum צור TSOR.
Sonna audio audis ab אזן AZN auris.
Sri beatus אשר ASR.
Stira terra ארץ ARTZ.
Stuna cippus ציון TZIUN.
Sukari Aper apri, חזיר CSIR.
Sura dives opulentus, עשר OSR.
Suria Sol Suriha חרס HRS.

Suta filius יצא ITSA.
Urksa arbor, ערם ORS.
Ursvicam Scorpius, עקרוב OQRUB.
Vastam Res fortis robusta עצם OTZM.
Viriam robur vires, אביר ABIR.

III. *Etyma adaucta Paragogica.*

Aghni Ignis אח AC focus.
Andagia piscis דאג DAG.
Bhiru timidus timens, ירא IRA-B.
Bula infans, עול OUL-B.
Carbala culter חרב CRB-L.
Dirha longitudo, ארך ARK-D, די DI multum.
Canam cantus, הגי EGI הגיון EGIUN.
Grana odor a ריח RIC-N.
Guptam occultum a חפה CPE-T.
Hamsa Sol solis חמה HME-S.
Kaliga aeger infirmus חלי CLI-G.
Karsaca Agricola arator חרש CRS-C.
Krisna niger שחר SCR-N.
Manusca homo hominis, אנש ANS-M.
Margo via iter, ארח ARC-M.
Medini Terra מ-אדמה M-ADME.
Naba nubes עב OB *onb.*
Parama altus sublimis רום RUM-P.
Paszanam lapis petra, צנם TZNM-P.
Pranah spiritus flatus נפח NPH-R.
Proba puteus, ביר BIR-P.
Rupam forma, μορφη, פעם POM-R.
Sacalam totum כל KL, ש S.
Sada semper עד OD-S.
Salma domus familia, אלם ALM-S.
Samghida Musica, שמע SMO, SMGO-D.
Sarva sarba multitudo, omnes a רבה RBE-S.
Shruti Lex legis a תורה TURE-S.
Sthan locus sedes a שות SUT-N.
Stri mulier ab אשת AST-R.

Svarga Coelum a רקיע RQIO-S.
Vishaya vicus pagus שואע SUAO-V.

IV. *Etyma exallactica.*

Bhordja Borgia servus, ab עבד OBD.
Carata Corvus ab ערב ORB CORV.
Grava lapis a חגר HGR, V-GR.
Nasica nasus a נחר NCR NO-S.
Pishitam caro carnis a בשר BSR PST.
Rasana Lingua a לשן LSN.
Samana similis a סמל SML.
Samuda Musica a זמר ZMR.
Ubala lapis אבן ABN. etc. etc.

SECTIO IV.

SPECIMEN ETYMOLOGICUM LINGUAE COPTAE.

I. *Etyma Homiophona.*

Ahi vita a חיה HIE,
Alei adscendere ab עלה OLE.
Alogi femur ab ירך IRK.
Aloli uva uvae ab עולל OULL.
Alom caseus ab חלם HLM.
Anai pulcher נאי NAI.
Areb pignus ארבה ARBE.
Aschgio crescere שגה SCGE.
Aspi Lingua labium שפה SPE.
Athoom ieiunus a טעם THOM gustare, et *a* privativo *non*.
Bas scindo divido a בצע BTZO.
Bel destruere בלה BLE.
Bert Rosa ורד VRD, BRD.
Bregi fulgur ברק BRQ.
Chara postea אחר ACR.
Chemi calor חמה CME.
Chep abdère abscondere, חיב CIB, חפה CPE.
Chol-chel transfodere חלל CLL.

Chor vas vasis כיור KIUR.
Chrou vox clamor קרא QRA.
Efleu vanitas הבל EBL efl.
Eielel splendere הלל ELL.
Eiul cervus איל AIL.
Eium mare ים IM.
Erovot proventus germina a רבע RBO רוות RVOT.
Esu ovis שה SE.
Euma una simul עם OM.
Fosch dividere פש FS.
Forsch expandere פרש FRS.
Giamul aries arietis חמל CML.
Gioili peregrinus גלה GLE.
Hoti tempus temporis עת OT.
Hro fornax a חור CUR חרה CRE ardere.
Kol volvere involvere גול GUL.
Ment modius מד MD mensura.
Molha salire, sale condire מלח MLH Sal.
Moni amoni pascere, nutrire אמן AMN.
Moschi ire ambulare משיא MSCHIA.
Mou aqua מיא MIA.
Nohem salus salvatio, נחם NHM dolore moerore liberari.
Sachem aegrotare languere שקם SQM.
Sachol capistrum שכל SKL capistrare.
Sagi loquor שוח SUC.
Schemsch servitium שמש SCMSCH.
Schik fovea fossa שוח SCUC.
Snau duo שנה SNE.
Soi glaber depilis שעיע SOIO שעע SOO.
Sopi fimbria ora vestis שפה SPE.
Sort lana vellus pili שעיר SOIR.
Thal collis tumulus תלה TLE.
Thamio assimilare דמה DME.
Tlom sulci תלם TLM.

II. *Etyma Temurica.*

Apas senex senior שיב SIB.
Begi locusta גבי GBI.
Berehi Currus רכב RKB.
Bouhi palpebrae a radice עפ OP.
Bote abominatio a תעבה TOBE.
Choit Chouit primus אחד ACD ACT.
Enese decorus pulcher חשנ HSN.
Erfei Templum, erbei בירה BIRE.
Erschi custodia אצר ATSR.
Erto palmus cubitus זרע ZRO TRO mensurae species.
Esou ovis שהה SEE.
Fro frigus חרפ HRF.
Inam dextera manus ימין IMIN.
Kalughi bos bovis עגל OGL COGL.
Kam Iuncus גמא GMA.
Kelge angulus ab עגל OGL curvus.
Legihi lingere a לחך LHK LHG.
Lik-lok ligi vasa vasorum a כלי KLI.
Maschgi auris a שמע SMO SMGA.
Mau mater אמ AM.
Merech lancea a רמך RMC.
Mlach pugnare לחמ LCM.
Mougt miscere commiscere מזג MZG MTG.
Mroscht foetor foetoris a סרות SRUT-M.
Osch clamare שוע SUO.
Thasch statuere שות SCUT.
Thorp suere consuere a תפר TPR.

III. *Etyma aucta paragogica.*

Ambon ira indignatio אפ AP *amb.*
Chems spica a קמה.
Chlel torques קלא QLA torquere.
Chlol vas vasis a כלי KLI.
Lobsch ardens a להב LEB.
Mischi percutere a מחה MCE.

Naht misericordia חנן HUN.
Phasch laqueus פח PHC–S.
Schlel deprecatio a צלא TSLA.
Schlil holocaustum a צלא TSLA.
Scorp mane aurora a שחר SCR–P.
Schotem clausus occlusus חתם CTM.
Sort lana vellus a שער SOR–T.
Sphransch Interpres a פרש PHRS–S.
Thahs thohs ungere inungere מוח THUH.

IV. *Etyma aphaeretica decurtata,*

Abok Corvus ab ערב ORB CORB.
Bas scindere a בצע BTSO.
Beri Iuvenis a בחור BCUR.
Chachi radere abradere a חלק CLQ.
Chaki tenebrae a חשך CSK.
Che initium a חד CD, vel חל CL.
Chieb agnus ovis a חשב CSB.
Chmu sal salis a מלח MLC.
Chur surdus a חרש CRS.
Ciaf frigus a חרף CRF.
Emi scientia a חכמה HKME.
Ioh luna ab ירח IRK.
Keb duplex a כפל KPL.
Las lingua a לשן LSN.
Nifi spirare a נפח NFC.
Oni Lapis ab אבן ABN AUN.
Rach lavare רחץ RCTZ.
Re Sol Solis חרס HRS.
Ro porta ianua תרע TRO.
Sebi quiescere שבת SBT.
Seht lepra שפחת SPHT.
Smau frons frontis מצח MTZC.
Teb digitus אצבע ATZBO.

V. *Etyma exallactica..*

Amasu fortis אמץ AMTZ.
Bahsi vacca vitula a בקר BQR.

Bareit hircus a בריח BRIH.
Chlom corona a כליל KLIL.
Chmot gratia benignitas, a חנה CNE, vel רחם RCM.
Ermah malum Punicum רמון RMUN.
Erme lacrima דמע DMO.
Hobs vestis לבש LBS.
Kolp furari, κλέπτειν, חרף CRP.
Smot similitudo סמל SML. etc. etc.

SECTIO V.

SPECIMEN ETYMOLOGICUM LEXICI SINICI LITERATI SECUNDUM ORDINEM LITERARUM ALPHABETI LATINI.

Cia capere sumere, אחז ACZ.
Cia initium חיל CIL.
Ci videre cernere חזה CZE.
Ci Regere gubernare גבר GBR CBR, חמל CML.
Ciong dimidium תוכ TOK *tong*.
Ciun aequare, instruere כון KUN.
Fang regio provincia פלכ FLK.
Fen pars פה FE, פרש FRS.
Fey pulcher venustus יפה IFE.
Fong facies vultus, אפ AF.
Fou Pater אב AB.
Hai mare ים IM.
Hao bonus הון EUN.
Ho ignis אח AH.
Ho fluvius יאר IAR.
Hoang Aquila עיט OITH.
Ieou manus יד ID, איד AID.
Iin homo *Gin* רגל, איש AIS.
Iou doctus literatus ידע IDO.
Iouen fons fontis עין OIN.
Kan scutum גנה GNE.
Kang collum ab ענק ONQ.
Ke accedere קרב QRB, KRB.

Keu loqui colloqui כלם KLM.
Keu falx falcis מ-גל M-GL.
Keou aptare connectere כון KUN.
Kiai omnes כל KL.
Kiao congregatio קהל QUEL.
Kien expectare קוה QUE.
Kien dividere בקר BQR.
Kiong congelare קרח QRC.
Kue saccus שק SQ.
Kuang antiquus עתיק OTIQ.
Lai venire הלך ELK.
Keang clarus lucidus הלל ELL.
Leao finis complementum כלה KLE,
Lie debilis דלי DLI.
Lie dividere פלה PHLE.
Lien unire לוה LUE.
Lien falx מגל MGL.
Loen turbatus בהל BEL.
Ma mater אם AM.
Ma equus equi מרכ MRK.
Mang miscere מג MG.
Mang loqui colloqui מלה MLE.
Mao pulcher נעם NOM.
Me pluvia מטר MTHR.
Me silere מהל MEL, דום DUM.
Mi solari נחם NCM.
Min populus עם OM, אם AM.
Ming nomen שם SCM.
Ming obscurus עמם OMM.
Nan meridies תמנ TMN.
Nang olim quondam קדם QDM.
Nie libella norma אמונה AMUNE.
Niu mulier נשא NSA.
Pe albus לבן LBN.
Ping capere rapere חרפ CRP.
Ping gelu frigus חרפ CRP.

Scia bibere potare, שבב SCBB, שרב SCRB.
Scia vox rauca gravis שוע SCUO.
Sciam altus sublimis שמח SCMC Arabum, שא SCA.
Sciao flagellum שוט SCUT.
Sciang satiari שבע SCBO.
Scia aurora שחר SCR.
Sciun labium שפה, SCPE.
Ta (da) magnus גדל GDL.
Tan color ruber אדם ADM.
Tao concupiscere תאב TAB.
Teng scabellum הדם EDM.
Thung Iuvenis טלי DHLI.
Tse spina צנים TZNIM spinae.
Tseng clamare צעק TSOQ.
Tsiang opifex artifex צנע TSNO.
Tsiang frigus צנן TSNN.
Tsien pellere expellere פצ PTS.
Tsieng illustris clarus צחח TSCC. etc. etc.

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM.

Aborigines, et *Latini Prisci* et *Casci*. 5. 7. 186. 187.

Achelous Dodonaeus et Italicus. 26. 27. Taurus Andropro- sopus. 32. 37. Cosmogonicus. 38. 39. An Bacchus 34. 35. 41. 42. etc.

Atellanae Fabulae. 59.-64. Quin lin. 20. post *plurimi Veteres* adde: *dispelli*.

Etymologica Specimina.

1. Linguae Graecae. 213.-220.
2. Linguae Latinae. 220.-227.
3. Linguae Samscriticae. 228.-232.
4. Linguae Coptae. 232.-236.
5. Linguae Sinicae. 236.-238.

Inscriptiones Oscae explicatae pagg. 81-173.

1. Pompeianae septem. 81—94.
2. Herculanenses tres. 94-98.
3. 4. Nolanae et Abellanae septem. 198-112.
5. Capuana Cap. IV. 112.
6. Saticulana. 113.
7. Anziensis Lucana. 114.
8. Vennsina. 117.
9. Bantinae Aeneae Tabulae Specimina. 119-126.
10. Monopolitana. 127.
11. Coelienses quinque 129.—131
12. Ostunensis. 132
13. Orienses duae. 132.
14. Callipolitanae quinque. 133.--134.
15. Bastensis. 135.--138.
16. Messanensis Sicula. 139.--140.
17. Centuripina. 143.
18. Hipparensis. 143.
19. Beneventana. 144.
20. Boviana. 145.
21. Petrae Pentrorum 146.
22. Histoniensis. 147.

23. Bucana . 149.
24. Castrensis. 149.
25. Anxanensis. 150.
26. Antinensis. 151.
27. Marrucina. 153.
28. Amiternina. 156.
29. Veliternae duae. 157.
30. Assisiensis. 162.
31. Cortonensis. 164.
31. Tudertinae duae. 166.—157.
33. Amerienses duae. 168.—169.
34. Pisauriensis bilinguis, 170.—173.

Oscorum Nomina et amplitudo in Italia. 1.—4.

Limites, Fines, et diversitas a Latinis, Etruscis, Graecis, Gallis. 4.-8.
Instituta *Oscorum* Idioethnica. 9.—12.
Regimen *Oscorum*. 12.-17.
Origines proximae ex Epiro, et Pelasgis Dodonaeis pag. 17.-26.
Dii Oscorum praecipui. 27.-32.
Origines Oscorum remotiores ex Syria Orontaea, Gordiaea, Batanaea. 44.—47.
Lingua *Osca* fixa certa constans vetustissima: 47.—48.
Indeclinata et pavromorpha. 49—40.
Non Graeca. 52.—66.
Non Latina. 56.—64.
Noachica et Semitica. 64.—68.
Vocabula Osca certae potestatis per Lexicon Semiticum tentata. 68.—80.

Inscriptiones *Oscorum* explicatae. 81.—173.

Tabularum Eugubinarum natura, et Fundamenta Hermeneutica. 174.-188.

Specimina Hermeneutica. 188. 212.